PRAEDESTINATUS: SEU, PRAEDESTINATORUM HAERESIS, ET LIBRI S...

Jacques Sirmond, Martin : de Barcos

Digitized by Google

10
8-6
8

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE
10
4 G
3

Google

F. II. 21.

Digitized by Google

PRÆDESTINATVS:

SEV,

PRÆDESTINATORVM HÆRESIS,

Et libri S. Auguſtino temerè adſcripti
Refutatio.

Ab Auctore ante annos M. CC. conſcripta,
nunc autem in lucem primum edita;

Cura & ſtudio

IACOBI SIRMONDI
Societatis IESV Preſbyteri.

Cui ſubjuncta eſt ejuſdem libri

CENSVRA:

In qua oſtenditur nullam fuiſſe unquam
Prædeſtinatorum hæreſin.

AVCTORE AVVRÆO,
Theologiæ Doctore Sorbonico.

BIBL. DOM. PROF.

Anno MDCXLV.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Chriſtiano Lectori S.

NIhil ſub Sole novum: nec valet quiſquam dicere, Ecce hoc recens eſt: jam enim præceſſit in ſæculis quæ fuerunt ante nos, inquit ſapientiſſimus regum Salomon. Ac ſane veluti in Fabula actores qui primi in ſcenam prodierunt, ſubinde poſtea in eam mutatâ perſonâ redeunt, ita in rebus humanis uſu venire ſolet. Teſtatur id nobilis de Prædeſtinatione divina & libero hominis arbitrio controverſia, quæ cum diu multumque ſuperiora ſæcula vexaviſſet, & deinde quaſi ſopita aliquantiſper jacuiſſet, hoc noſtro iterum caput humo cœpit attollere. Præcipuè in fœderato Belgio, ubi à quadraginta circiter annis tanta animorum contentione inter Calvini & Arminii aſſeclas agitata eſt, ut majore non potuerit. Nec remiſſiore in aliis Europæ partibus æſtu ferbuiſſet, ut adverſariæ diverſorum de hoc argumento diſputationes probant, ni maturè Romani obſtitiſſet Pontificis auctoritas. Quæ tamen impedire non poteſt, quominus nunc in Gallia Sorbonici Theologiæ Doctores & Societatis Ieſu Patres, adverſus ſe invicem acriter ſatis de eodem decertent. Et cum utrinque perſuaſum ſit magnum ad victoriam pondus afferrre poſſe veteris Eccleſiæ conſenſum, ut pote quæ quò propius à veritatis divinæ fonte aberat, tantò limpidiores doctrinæ latices al-

Eccleſ. 1. 10.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

veis ſuis deferebat; quicunque in arenam diſputaturi deſcendunt, non ſolum frequentibus Patrum teſtimoniis dicta ſua munire ſtudent, ſed etiam oſtendere eam quam impugnant ſententiam antiquitus hæreſeos fuiſſe damnatam. Inde fit ut quemadmodum Prædeſtinationis abſolutæ aſſertores adverſarios Pelagianorum nomine infamant, ita viciſſim qui in ſalutis negotio conditionata decreta tuentur, illos Prædeſtinatorum hæreſi adſtipulari dicant. Hunc in finem nuper à doctiſſimo Sirmondo libellus titulo Prædeſtinati *è Veteri Manuſcripto in lucem prolatus eſt. Quem cum non leve cauſæ ſuæ præjudicium afferre poſſe Sorbonici animadverterent, unus ex ipſorum numero Auvræus, vir ut apparet non indoctus, atro* Cenſuræ *ſuæ calculo eum notare aggreſſus eſt; qua oſtendere nititur nullam fuiſſe unquam Prædeſtinatorum hæreſin, & quod ibi refutatur Prædeſtinati ſcriptum, à refutatore Semi-Pelagiano aut Pelagiano eſſe confictum, & multis illius Sectæ erroribus inquinatum. Hanc Cenſuram recenter è Gallico auctoris in Latinum ſermonem converſam, tibi Candide Lector, ſimul cum Prædeſtinato exhibemus, ut collatione utriuſque operis & ſententiæ facta, cui parti ſuffragium tuum commodare debeas, maturiore judicio expendere poſſis. Vale, & noſtrum in veritate promovenda ſtudium boni conſule. Menſe Ianuario, anni à Chriſto nato* M D C X L V.

Digitized by Google

PRÆDESTINATVS:

SEV,

PRÆDESTINATORVM HÆRESIS,

Et libri S. Auguſtino temerè adſcripti Refutatio.

Ab Auctore ante annos M. CC. conſcripta, nunc autem in lucem primum edita,

Cura & ſtudio

IACOBI SIRMONDI
Societatis IESV Preſbyteri.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI.

INvaluit paucis abhinc annis, Lector, peregrina & eruditorum auribus inſolens quorundam opinio, Prædeſtinatianam hæreſin in Eccleſia nullam unquam fuiſſe. Quæ enim Prædeſtinatorum hæreſis dicta eſt, eam non hæreſin, ſed ipſiſſimam fuiſſe doctrinam ſancti Auguſtini, quam ejus æmuli ut odioſam redderent, funeſti nominis titulo infamarint. Proinde antiquos Scriptores qui contradicant non audiunt, & Gennadium Maſſilienſem, quem erroris ducem ſuſpicantur, præcipue inſimulant. Ad hanc ex illorum animis evellendam hæſitationem Auctorem damus, cujus ipſi judicium, ſi verum amant, aſpernari nolint, & adverſus quem præſcribere vel excipere non liceat. Eccui enim vel notiores Prædeſtinati, vel perſpecta magis eorum dogmata potuerunt eſſe quam homini, qui cum illis aſſidue verſabatur, cum iiſdem manus ſæpe conſerebat, quem unum illi præ omnibus refugiebant & reformidabant adverſarium? Hic igitur cum in Hæreſum catalogo, quem deſcribit, ſedem ſuam Prædeſtinatis adſignet, Prædeſtinatorumque placita, quæ ipſi videlicet, tanquam ab Auguſtino profecta, ex conficto ſub ejus nomine libro clam furtimque inſinuabant, aliena eſſe ab Auguſtino, eique adverſa, & ſua ipſius ſententia, & Cæleſtini Papæ præjudicio

 con-

confirmet, atque hæc omnia nondum exorto Eutyche, hoc eſt ante Gennadium ſcribat, quid certius vel apertius, quam falli eos, qui Prædeſtinatorum propriam hæreſim nullam fuiſſe contendunt, & invidiam hoc nomine concitant Gennadio? His vero conſtitutis, quid reſtabat, Lector, quam ut Auctoris quoque nomen exploratum haberemus? At invidit hoc nobis ſilentio ſuo Codex antiquus, optimæ cæteroqui notæ, ac illuſtri olim poſſeſſore nobilis, Hincmaro Archiepiſcopo Remenſi. Hincmarum autem, dum contra Goteſcalcum ſcribens, Hyginum hunc appellavit, ſua haud dubie fefellit opinio: quia Hygini nomen, quod in primi libri fronte legerat, non Auctoris noſtri, ſed alterius cujuſpiam nomen fuit, ex eorum numero, qui Hæreſiarcharum indices contexuerunt. Quod amplius nobis quærendum eſt. Et quidem, ſi conjecturis indulgendum, veniebat in mentem de Arnobio juniore, cujus extant in Pſalmos commentarii, ob ſtili ſententiarumque affinitatem augurari. Sed incertam divinationem, in qua fucum pati ac facere promptum eſt, aliorum malumus ſolertiæ judicioque permitti. Veræ interim appellationis locum, ne titulo prorſus liber careat, adſcititia, quam finximus, te, ut ſpero, annuente, ſupplebit inſcriptio.

VETE-

VETERVM
de Prædeſtinatorum Hæreſi teſtimonia.

Tiro Prosper in Chronico, ex Bibliotheca S. Victoris.

Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.

Arnobivs Ivnior in Pſalmum centeſimum octavum.

Dilexit maledictionem Adæ, quæ per Chriſtum aufertur, & veniet ei: & noluit benedictionem quæ per Chriſtum affertur, & utique elongabitur ab eo. Nota ex arbitrio eveniſſe ut nollet, propter hæreſim quæ dicit Deum alios prædeſtinaſſe ad benedictionem, alios ad maledictionem. Sic enim ex dilectione ſua maledictionem habere probatur, & nolle ſuum benedictionis præmium non habere.

Favstvs Regiensis Episcopvs ad Leontium Arelatenſem.

Quod pro ſolicitudine paſtorali, beate Papa Leonti, in condemnando Prædeſtinationis errore Concilium ſummorum Antiſtitum congregaſtis, univerſis Galliarum Eccleſiis præſtitiſtis.

Gennadivs Massiliensis in libro de Hæreſibus.

Prædeſtinatiani ſunt qui dicunt quod Deus non omnes homines ad hoc creet, ut omnes ſalventur, ſed ut multitudine hominum ornetur mundus. Quod etſi generali prædicatione dicat, Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos; *non tamen omnes ea voluntate vocet, ut omnes ſequantur vocantem. Sed nec omnes qui ipſo inſpirante obediunt vocationi, dicuntur accipere exſequendi in bono opere perſeverantiam: ſed poſt multos labores & juſtitiæ fructus, ſi non ſunt de ſalvandorum numero, ſubtrahendas eis vires agendi, ne perdurent in bono. & è contrario illos qui prædeſtinati ſunt ad vitam æternam, etiamſi in perfidia, vel omni genere peccati lon-*

go tempore volutentur, accepturos occaſionem, qua & credant in Deum, & ſecundum Dei præceptum vivant, ut poſſideant ſocietatem ſanctorum. Tali definitione id docere ſtudent, quod Deus perſonas hominum accipiat, quod alios etiam invitos poſt multa mala opera attrahat ad ſalutem, alios poſt bona rejiciat & compellat in malum, quo pereant in æternum.

IOANNES ERIVGENA contra Goteſcalcum lib. I, cap. IV.

Hæc igitur hæreſis Goteſcalcana, ſi tali nomine poteſt vocari, inter duas alias hæreſes ſibi invicem adverſantes medietatis loco conſtituta eſt. Inter illam plane quæ dicitur Pelagiana, & illam quæ ei repugnat. Quarum una dono divinæ gratiæ derogat, altera libertatem arbitrii condemnat. Pelagiana ſiquidem ſecta libertatem arbitrii rationalis naturæ tantum commendat, ut ſine dono gratiæ ad perficiendam hominis juſtitiam ſufficiat. Ejus vero ſecta contraria gratuitæ gratiæ donum confirmat, ut ea ſola in homine operante, omni conatu liberi arbitrii contempto, omnis fidelis faſtigium juſtitiæ contingat.

SIGEBERTVS Gemblacenſis in Chronico, anno Chriſti CCCCXIV.

Prædeſtinatorum hæreſis in hoc tempore cœpit ſerpere. qui ideo Prædeſtinati vocantur, quia de prædeſtinatione & divina gratia diſputantes aſſerebant, quod nec pie viventibus proſit bonorum operum labor, ſi à Deo ad mortem prædeſtinati fuerint: nec impiis obſit quod improbe vivant, ſi à Deo prædeſtinati fuerint ad vitam. Quæ aſſertio & bonos à bonis avocabat, & malos ad mala provocabat. Hæc hæreſis ex libris Auguſtini male intellectis initium ſumpſiſſe dicitur.

Quod in Tironis Chronico ſcriptum erat ab Auguſtino, *Sigebertus interpretatus eſt,* ex libris Auguſtini male intellectis, *veriſſime. Hoc enim eſt quod de S. Auguſtini obtrectatoribus, ad Capitula Gallorum reſpondens teſtatur Proſper. ejus illos doctrinam, aut non intelligendo, aut intelligi nolendo reprehendere.*

PRÆ-

Digitized by Google

PRÆDESTINATVS

ſive

PRÆDESTINATORVM HÆRESIS,

Et libri S. Auguſtino temere adſcripti

REFVTATIO,

Tres in Libros diſtributa.

PRÆFATIO.

QVotienſcumque ad te, ô amator Dei, verba doctorum adtingunt, illico ſunt Domini præcepta memoranda, quibus jubere dignatur, ut adtendamus ab his qui veniunt ad nos in veſtitu ovium, ne ſub hoc tegmine luporum rabies occultata, ovilem ſimplicitatem invadat. Vtinam mihi verbis iſta dixiſſe ſufficeret, & non, quod eſt cum ſuſpirio memorandum, manifeſtum ſit miſcuiſſe belluas gregi dominico. qui tanta ſubtilitate clandeſtino hiatu ſeſe Catholicis immerſerunt, ut ipſi magis cives ſanctorum & domeſtici fidei æſtimentur, qui inimici Eccleſiæ & hoſtes doloſiſſimi comprobantur. Dicentes jam homines ita prædeſtinatos ad mortem per Dei præſcientiam, ut illis nec paſſio Chriſti, nec baptiſmatis redemptio, nec fides, nec ſpes, poſſit, nec caritas ſubvenire. Orent, & jejuniis ac eleemoſynis occupentur: nulla, inquiunt, poterunt ratione liberari, quia non ſunt prædeſtinati ad vitam. Econtra, hi quos prædeſtina-

tio

Digitized by Google

tio præſcia futurorum diſpunxit, negligant, contemnant, & juſtitiam fugiant: ſic iſti etiam nolentes trahuntur ad vitam, ſicut illi volentes ad vitam pertingere expelluntur in mortem. Sic iſtis non petentibus datur, ſicut illis petentibus denegatur. Et iſti quidem non quærentes invenient, illi autem quærentes invenire non poſſunt. Iſtis pietatis janua non pulſantibus reſeratur: illis autem nulla ratione poterit, etiam pulſantibus, etiam clamantibus aperiri. Quis hanc fidem habens ſacerdotum benedictionibus caput inclinare deſideret, & eorum ſibi precibus & ſacrificiis credat poſſe ſuccurri? Si enim hæc nec prodeſſe volentibus, nec obeſſe nolentibus incipiant credi, ceſſabunt omnia Dei ſacerdotum ſtudia, & univerſa monitorum adminicula vana videbuntur eſſe figmenta. atque ita unuſquiſque ſuis erit vitiis occupatus, ut criminum ſuorum delectationem Dei prædeſtinationem exiſtimet, & ad bonum à malo tranſitum, nec per ſacerdotem Dei, nec per converſionem ſuam, nec per legem dominicam, ſe poſſe invenire confidat. Silerem, fateor, & nequaquam ſtilo percurrente iſta detegerem, ſi totiens ut tacerent admoniti ſaltim mediocriter contentionis ſuæ impetum temperaſſent: non etiam audacter ſub Auguſtini nomine libros ederent, & ſcriptorum ſuorum jaculis membra immaculatæ matris noſtræ Eccleſiæ vulnerarent. Quis filius matrem ſuam cædi non doleat? quis genetricem ſuam vulnerari non plangat? An tacebimus illa laborante? Sed ſilentium noſtrum reatus docebitur, & taciturnitas videbitur eſſe conſenſus. Quam enim tu patientiam taciturnitatis putas, hanc alius conſcientiam perverſitatis exiſtimat. Præſertim ſi & ipſe taceas, & cum qui loqui voluerit pro defenſione matris com-

munis,

munis, forſitan ſilere compellas. Cum tempus tacendi & tempus loquendi in id ſapientia divina inſtituerit, ut & modeſtia in ſilentio, & ratió eſſet in verbo, ne ultra honeſtatis terminum unuſquiſque linguam vel promeret, vel teneret, eſſetque loquacitas importuna, aut taciturnitas obſtinata: cum utrumque veniret in vitium, loqui velle cum non debeas, & nolle cum debeas. Iſtud igitur in alterutrum cuſtodiſſe habita ratione perdoceo, cum contra librum matri Eccleſiæ tendentem inſidias divini oris arma corripio, & ut Goliæ ex ſuo ſibimet gladio confidens in Domino ejus cervicem abſcindo. Qui triſtis fuerit, ſuo quaſi mus prodetur indicio, cum ſuo murmure Philiſtæum ſe eſſe detexerit: mecum autem gratulabitur omnis qui allophylus non eſt. Igitur cum ſollicite celatur, & occulte legitur, & caute conſcribitur, tandem aliquando, non tam editus quam deprehenſus, ad manus noſtras pervenit liber, qui Auguſtinum mentitur in titulo, cum ſe hæreticum oſtendat in textu. Quis enim neſciat Auguſtinum orthodoxum ſemper fuiſſe doctorem, & tam ſcribendo, quam diſputando, omnibus hæreticis obviaſſe? Volentes ergo inimicum fidei noſtræ inter fratres dogma inducere, catholicum ſupraliminare libri ſui titulum poſuerunt. Qui liber, velut ſepulcrum fœtens, à foris quidem Auguſtini nomine dealbatur, intus vero ſcaturit vermibus mortuorum. Hunc librum aliquando ſibi oblatum beatiſſimæ memoriæ ſummus Pontifex Cæleſtinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuo juberet damnari ſilentio. Eo magis hæreticorum animus inflammatus, clanculo eum per diverſas domos tradidit lectitandum. quique quanto legi publice vetabatur, tanto ab eis adſerebatur inſuperabili æquitate con-

Digitized by Google

conſcriptus. Sicque perfidum iniere conſilium, ut in modum ſymboli, non diſcutiendus traderetur aliquibus, ſed credendus. Ita contra hunc ſuſcepimus, ut adverſum ſingula blaſphemiarum ejus dicta, tam rationabili veritate, quam legali auctoritate pugnemus. Quem librum non diſcerpentes, ſed integrum eum ab initio uſque ad finem perſcribentes, nonageſimæ hæreſeos projecimus ſilvæ, arborem eum nequiſſimam detegentes, ad cujus radicem ſecuris eſt poſita, ad hoc ut excidatur, & in ignem mittatur. Vbicumque autem ejuſdem libri ſunt dicta, lineis à tergo verſuum jacentibus deteguntur. Quæ licet pro ipſa ſui perverſitate ultro ſe legentibus prodant: tamen egimus ut veritas à mendacio non ſolum verbis rationabilibus, ſed etiam alogiis increpantibus diſcernatur. Sane Græcorum nos legis catholicorum ſcripta contra hæreticorum ſectas dimicantia idcirco memoramus, & omnes hæreſes ſingillatim per ordinem licet ſtrictim perſcribimus, ut ſciant novæ hujus hæreſis inventores, omnium nos hæreticorum definitionibus adverſari, & nullius eorum contra ſe uti conſenſu. Ceſſet omnis tergiverſatio, & calliditas oblatrantium, in modum canis vomitus ſuos ipſa iterum ſorbeat. Omnes à Simone cœptas hæreſes detegimus, arguimus, condemnamus, & tam ratione quam auctoritate ſuperatas oſtendimus. In detectione igitur falſitatis, & in defenſione veritatis, Catholicorum ſumus ſecuti veſtigia, & id geſſimus, ut in primo libro veterata hæreſeos ſuperſtitio perpateſcat: in ſecundo vero novæ adinventionis venena non lateant: tertius vero liber hæreſeos devictæ tumulum, fideique trophæum cunctis Eccleſiis tradat. Clemens itaque Romanus Epiſcopus, Petri diſcipu-

pulus, Chriſti digniſſimus Martyr, Simonis hæreſin à Petro Apoſtolo cum ipſo Simone ſuperatam edocuit. Hunc ſecuti ſunt ſancti quique orthodoxi viri, & ſuo quiſque tempore uniuſcujuſque hæreſis ortum, & certamen, & exitum, per plurimos libros, & multa millia verſuum conſcripſerunt. quæ nos epitomantes juvante Domino, hoc uno libello concluſimus. Orabunt pro nobis ſancta ſtudia, quæ ad requiem curarum ſuarum per hunc noſtrum laborem attingunt.

ELENCHVS HÆRESVM quæ in primo libro commemorantur.

1 *Simon.*
2 *Menandriani.*
3 *Baſilidiani.*
4 *Nicolaitæ.*
5 *Saturniniani.*
6 *Gnoſtici.*
7 *Carpocratiani.*
8 *Cerinthiani.*
9 *Nazaræni.*
10 *Ebionæi.*
11 *Valentiniani.*
12 *Secundiani.*
13 *Ptolemeitæ.*
14 *Marcoſii.*
15 *Colorbaſiani.*
16 *Heracleonitæ.*
17 *Ophitæ.*
18 *Cainiani.*
19 *Sethiani.*
20 *Archontici.*
21 *Marcionitæ.*
22 *Apellitæ.*
23 *Cerdoniani.*
24 *Severiani.*
25 *Tatiani.*
26 *Cataphryges.*
27 *Pepuziani.*
28 *Artotyritæ.*
29 *Teſſareſcadecatitæ.*
30 *Alogii.*
31 *Adamiani.*
32 *Elceſei.*
33 *Theodotiani.*
34 *Melchiſedechiani.*
35 *Bardeſanitæ.*
36 *Noetiani.*
37 *Valeſii.*
38 *Cathari.*
39 *Angelici.*
40 *Apoſtolici.*

Sa-

Digitized by Google

41 *Sabelliani.*
42 *Origeniani.*
43 *Origeniani alii.*
44 *Pauliani.*
45 *Photiniani.*
46 *Manichæi,*
47 *Hieracitæ.*
48 *Meletiani.*
49 *Arriani.*
50 *Audiani.*
51 *Funomiani.*
52 *Macedoniani.*
53 *Aëriani.*
54 *Aëtiani.*
55 *Apollinariſtæ.*
56 *Antidicomaritæ,*
57 *Meſſaliani.*
58 *Metangiſmonitæ.*
59 *Seleuciani.*
60 *Proclinianiſtæ.*
61 *Paterniani.*
62 *Aſcitæ.*
63 *Paſſalorynchitæ.*
64 *Aquarii.*
65 *Coluthiani.*
66 *Floriani.*
67 *Satanniani.*
68 *Gymnopodæ.*
69 *Donatiſtæ.*
70 *Priſcilliani.*
71 *Adilophagi.*
72 *Rhetoriani.*
73 *Theoponitæ.*
74 *Triſcilidæ.*
75 *Hydrotheitæ.*
76 *Homuncionitæ.*
77 *Ametritæ.*
78 *Pſychopneumones.*
79 *Adecerditæ.*
80 *Metagenetæ.*
81 *Luciferiani.*
82 *Ioviniani.*
83 *Arabici.*
84 *Helvidiani.*
85 *Paterniani.*
86 *Tertullianiſtæ.*
87 *Abeloitæ.*
88 *Pelagiani.*
89 *Neſtoriani.*
90 *Prædeſtinati.*

Digitized by Google

LIBER PRIMVS,
Qui eſt
DE HÆRESIBVS.

Epitome ecdiceſios Hygini contra hæreſiarchas, & categoricorum Epiphanii contra ſectas, & expoſitionum Philaſtri, qui hos transferens in Latinum ſermonem de Græco, cum Arriani damnarentur edidit. Prior Hyginus, poſt hunc Polycrates, Africanus, Heſiodus, Epiphanius, Philaſter, hi diverſis temporibus diverſas hæreſes pertexuerunt.

I.

PRima hæreſis à Simone ſumſit exordium, qui dicebat caſtitatem ad Deum non pertinere, Deum mundum non feciſſe, & his ſimilia. Hic à beato & ſancto Apoſtolo Petro ita eſt publice ſuperatus, ut ante pedes ejus cadens ultra ſurgere minime potuiſſet.

I I.

Secunda hæreſis à Menandro Menandrianorum, qui mundum non à Deo, ſed ab Angelis factum eſſe teſtantur. Hos ſanctus Linus Epiſcopus, ſecundus Apoſtoli Petri, à conſortio converſationis noſtræ ejectos, æterna damnatione multavit: docens rationabiliter, ſecundum ſanctas ſcripturas veteris Teſtamenti, Deum, qui cum Moyſe locutus eſt, hunc eſſe omnium creatorem, & nihil in creaturis omnibus eſſe, quod poſſit pro ſui natura eſſe vituperabile. Omnia enim

Digitized by Google

quæ culpabilia judicantur, actu non conditione culpantur.

III.

Tertia hæreſis à Baſilide Baſilidianorum. Hi trecentos ſexaginta & quinque cælos eſſe dicentes, contra Moyſem ſuſcipiunt: & Deum horum cælorum Abraſax commemorant. Quod nomen Græca ratio litterarum in hanc ſummam ſupputando pertingit. ΑΒΡΑΣΑΞ. id eſt A. unum, & B. duo, & P. centum, & A unum, & Σ. ducenta, & A. unum, & Ξ. ſexaginta, fiunt in ſumma CCC. LX. V. Hos Eccleſia ut energumenos computans, non altercando, ſed projiciendo damnavit.

IV.

Quarta Nicolaitarum à Nicolao hæreſis eſt adinventa, qui unus ex ſeptem diaconibus ab Apoſtolis ordinatus eſt. Iſte cum de zelo pulcherrimæ conjugis culparetur, docere cœpit indifferenter debere uti conjugibus: non ſolum laicis, ſed etiam his qui ſacerdotii fungerentur officio. Hos damnavit ſanctus Ioannes Apoſtolus & Euangeliſta, & juſſit ut quicumque cum eis vel ſermonem conloquii miſcuiſſent, ex hoc ipſo communione privarentur. docens rationabiliter, à mundi origine Deo caſtitatem plurimum placuiſſe: nunc autem etiam in ſeipſo Chriſtum Dei filium caſtitatis gloriam dedicaſſe, cum virginem poſſidens matrem, virgo manſurus, nullum diſcipulorum ſuorum commixtionem etiam legitimi conjugii uti permiſit, dicens: *Si quis vult venire poſt me, abneget ſeipſum ſibi, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me.*

Matth. 16, 24.

V.

Quinta hæreſis Saturninianorum eſt, à Saturnino.

Digitized by Google

nino. Hic docuit ſeptem Angelos mundum feciſſe, quibus cordi fuit libidines inſerere, ut dum ſeſe concupiſcit ex alterutro diverſitas ſexus, mundus à ſui fine refrænatus poſſit eſſe perpetuus. Hos anathematizavit beatus Thomas Chriſti Apoſtolus, docens rationabiliter mundum initium habuiſſe, & quia initium habuit, ad finem eſſe venturum. Angelos autem omnipotentiam habere non poſſe, & ideo mundum eos non potuiſſe conſtituere. Conditorem autem mundi unum eſſe Deum, quem Moyſes prædicavit feciſſe cælum, & terram, & mare, & omnia quæ in eis ſunt.

VI.

Sexta hæreſis Gnoſticorum. qui Gnoſticos ſe appellare voluerunt, quaſi propter ſcientiam excellentem, cum miſeriores ſuperioribus eſſe, quos memoravimus, haberentur. Docens eos rationabiliter beatus Paulus Apoſtolus non Deo ſervire, ſed ſuo ventri, & libidini, inflatos eſſe, & nihil ſcire, & ægrotare circa quæſtiones & verborum pugnas.

VII.

Carpocratianorum ſeptima eſt hæreſis, à Carpocrate inventa, qui docebat poteſtates tenebrarum tranſire non poſſe, niſi ſolos eos, qui omni ſe turpitudine miſcuiſſent. Hi Dominum noſtrum Ieſum de utroque ſexu genitum adſerebant, ſed talem animam accepiſſe, quæ ſuperna cælorum ſciret. Reſurrectionem corporis denegantes, prophetas Teſtamenti veteris condemnabant. Habebant autem Marcellinam quandam, quæ imagines Ieſu, & Pauli, & Pythagoræ philoſophi ponebat in medio populi quem decipiebat, & faciebat eos his imaginibus honorem deitatis exhibere, & incenſum ponere. Hos damnavit apud

Cyprum beatus Barnabas Chriſti diſcipulus, docens eos miniſtros eſſe Satanæ, & non debere conſtituit Chriſtianum penitus cum his habere ſermonem.

VIII.

Octava hæreſis Cerinthianorum, à Cerintho. Dicebant mundum ab Angelis factum, carne circumcidi debere, veteris Teſtamenti ſecundum litteram debere præcepta ſervari. Ieſum hominem tantummodo fuiſſe: nec reſurrexiſſe, ſed adhuc reſurrecturum eſſe memorabant. Hos in Galatia æterno anathemate beatus Apoſtolus Paulus condemnavit. Hos denique tangit in ſua epiſtola, quam ad Galatas miſit.

IX.

Nona hæreſis Nazarenorum. Filium quidem Dei confitentur, omnem autem ritum veteris Teſtamenti Iudaico more conſervant. Hos docuit beatus Apoſtolus Paulus debere ſpiritaliter ſcripturas advertere. & hos in Eccleſiis Galatiæ deprehendit, atque non conſentientes doctrinæ ſuæ anathemati eſſe conſtituit.

X.

Decima hæreſis Ebionæi. Hominem ſolum fuiſſe dominum Ieſum Chriſtum adſerunt, & legis mandata more Iudaico cuſtodienda conſtituunt. Hos Lucas Euangeliſta apud Antiochenam Eccleſiam inveniens condemnavit, docens
Luc. 1. 35. Angelum dixiſſe ad Mariam, *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi obumbrabit te. Ideo & id quod ex te naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*

XI.

Vndecima hæreſis Valentinianorum, à Valentino. Hi per Orientem diſperſi graviter Dei Eccleſiam vulnerarunt, dicentes profundum & altum

tum ſecum commixta. Ex quibus duobus, velut ex conjugio, mundum proceſſiſſe. altum dicentes Patrem, profundum Filium. eumque nihil adſumpſiſſe de Maria virgine: ſed illum, tanquam aquam per rivum aut fiſtulam, ſine ulla carnis adſumptione tranſiſſe. Carnis autem reſurrectionem omnimodis denegantes. Hos anathematizavit beatus Zacchæus Cæſarienſis Epiſcopus, docens Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, Deum verum, verumque hominem, per virginea ſecreta tranſiſſe, ex ſemine David ſecundum carnem. ſed hominem vere natum, vere paſſum, vere mortuum, vere reſurrexiſſe à mortuis, & vere aſcendiſſe in cælis.

XII.

Duodecima hæreſis Secundianorum. Hoc ſolum Valentinianis diſtant, quia addunt huic ſectæ etiam turpitudinem corporis, quam quaſi illi pſeudocaſti declinare ſe ſimulant. Hos damnavit Diodorus Epiſcopus Cretenſis.

XIII.

Tertiadecima hæreſis Ptolemeitæ, à Ptolemæo Valentini diſcipulo, qui hanc eandem hæreſim acrius diſputando diſperſit. qui eodem tempore à ſancto Zacchæo ſupra memorato Epiſcopo Cæſarienſi damnatus eſt. Hæreſem tamen peſſimam per multa ſpatia Orientis diſperſit.

XIV.

Quartadecima hæreſis à Marco quodam eſt adinventa. qui negans reſurrectionem carnis, Chriſtum non vere paſſum, ſed putative conabatur adſtruere. Hunc ſanctus Clemens, Epiſcopus Romanus, & Chriſti digniſſimus Martyr, fixis & integris adſertionibus confutans, & coram omni plebe in Eccleſia detegens, æterna dam-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

natione punivit. docens vere natum & paſſum Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. nihil ab eo in phantaſia factum commemorans, & evidenter oſtendens, quod veritas inimica falſitatis falſum in ſe nihil penitus habere potuerit: ſicut nec lux in ſe tenebras habere poteſt, nec benedictio maledictionem, nec dulcedo amaritudinem. & ſi iſta commiſceri poſſent, Deum tamen docuit mendacio impoſſibile eſſe miſceri.

X V.

Quintadecima hæreſis Colorbaſiana à Colorbaſio adinventa. Vitam omnem hominum in ſeptem ſtellis eſſe poſitam adfirmabat: & has eſſe ſeptem Eccleſias, & ſeptem candelabra aurea conabatur adſtruere. Hunc ſanctus Theodotus de Pergamo Epiſcopus, habita ſynodo ſeptem Epiſcoporum, anathematizavit. docens ſeptem Eccleſias in ſeptiformi ſpiritu conſecratas. Vna forma eſt, inquit, cum in forma quam primus homo amiſerat revocatur. Secunda, cum immaculatus qui erat peccator efficitur. Tertia, cum ex terra corpus mortuum ſuſcitabitur. Quarta, cum anima de inferni clauſtris eruitur. Quinta, quod anima paradiſi habitatione lætatur, quouſque corpus ſuum incorruptibile recipiat. Sexta, quod filios Deo facit qui erant filii Adæ. Septima, quod facit hominem regni cælorum eſſe participem. Has eſſe ſancti Spiritus formas in ſeptem Eccleſiis, in ſeptem oculis, & in ſeptem candelabris aureis conlocatas.

X V I.

Sextadecima hæreſis Heracleonitarum, ab Heracleone adinventa eſt. quæ baptizatum hominem, ſive juſtum, ſive peccatorem, loco ſancti computari docebat, nihilque obeſſe baptiza-

zatis peccata memorabat, dicens, ſicut non in ſe recipit natura ignis gelu, ita baptizatus non in ſe recipit peccatum. Sicut enim ignis reſolvit aſpectu ſuo nives quantæcumque juxta ſint: ſic ſemel baptizatus non recipit peccatorum reatum, etiam quantavis fuerint operibus ejus peccata permixta. Hic in partibus Siciliæ inchoavit docere. Contra hunc ſuſceperunt Epiſcopi Siculorum, Euſtachius Lilybæorum, & Panormeorum Theodorus. Quique omnium qui per Siciliam erant Epiſcoporum Synodum exorantes, geſtis eum audire decreverunt, & univerſas adſertiones ejus dirigentes ad ſanctum Alexandrum urbis Epiſcopum, rogaverunt ut ad eum confutandum aliquid ordinaret. Tunc ſanctus Alexander ad ſingula quæque capita hydri ſingulos gladios Dei verbi de vagina divinæ legis ejiciens, librum contra Heracleonem ordinans, ferventiſſimum in ingenio Sabinianum preſbyterum deſtinavit. qui & ſcriptis Epiſcopi, & adſertione ſua, ita eum confutaret, ut nocte media navis præſidio fugeret, & ultra ubinam deveniſſet penitus nullus ſciret.

XVII.

Septimadecima hæreſis Ophitarum. Hi à colubro nominati ſunt. Coluber enim Græce ophis dicitur. Habent ergo colubrum adſuetum eorum panes lingua lambere, atque ita ex ſe velut Euchariſtiam ſanctificare. Quem colubrum ſuum Chriſtum appellant. Contra hos ſuſceperunt Bithyniæ provinciæ ſacerdotes, id eſt civitatis Calchedoniæ & Nicomediæ Epiſcopi Theocritus & Euander, & confutantes eos publice ſuperarunt: atque ſuperventum facientes eis per collegia eorum, in Bithyniæ, ut dixi, partibus per poſſeſſi-

ones clanculo ubi hæc ipſa perpetrabant, & ſacerdotes eorum eliminarunt, & ſerpentes eorum occiderunt, ac rationem reddentes omni populo, maximam partem plebis ab hoc periculo liberarunt.

XVIII.

Octavadecima hæreſis Cainiani. Propterea ſic appellati ſunt, quoniam Cain honorant, dicentes eum fortiſſimæ eſſe virtutis. Simul & Iudam traditorem divinum aliquid putant eſſe, & ſcelus ejus beneficium deputant, adſerentes eum præſciſſe quantum eſſet generi humano Chriſti paſſio profutura, & occidendum Iudæis propterea tradidiſſe. Hos ortos eſſe Meſopotamiani Eccleſiarum Syriæ ſacerdotes ad ceteros ſuos coepiſcopos conſcripſerunt. Quos triginta & duo Epiſcopi apud Antiochiam reſidentes, cum ejuſdem urbis Epiſcopo Theodoro, in præſenti confutatos damnarunt. dicentes eis illud quod ſanctus Spiri-
Eſa. 5.20 tus locutus eſt per prophetam, *Væ his qui dicunt de bono malum, & de malo bonum: qui ponunt tenebras lucem, & pro luce tenebras.* Conſtat ergo vos à vobis ipſis eſſe damnatos, qui eos vultis magnos & juſtos adſcribi, quos pro facti ſui qualitate Deus perpetuæ gehennæ incendio deſtinavit.

XIX.

Nonadecima hæreſis Sethianorum. Hi nomen acceperunt à filio Adæ, qui vocatus eſt Seth. de ſuperna matre eum natum eſſe jactantes, quam conveniſſe dicunt cum ſuperno patre, unde divinum ſemen aliud naſceretur, ex quo ſemine ſibi Deus juſtos eligeret, & ſuos filios appellaret. Hi orti ſunt in partibus Achajæ. Contra quos ſuſcepit ſanctus Perigenes Argûs civitatis Antiſtes. oſtendens eis, de uno ſancto vero & juſto Iſaac duos

Digitized by Google

duos natos geminos, uno pariter utero editos: unum ad ſuperiora divinæ gratiæ penetraſſe, alium ad inferiora inferi deveniſſe. Vnum itaque è duobus, inquit, aut naturæ malæ ſunt filii, & ambo pro id quod ſunt nati, damnandi ſunt: aut naturæ bonæ ſunt, & pro facti ſui qualitate, juſte alium benedictio coronavit, alium maledictio condemnavit. Hæc & his ſimilia adſerente ſancto Perigene, aliquanti credentes converſi ſunt ab errore hoc peſſimo. non credentes autem, nec convertentes, gladio ſunt anathematis amputati.

XX.

Hæreſis viceſima apud Cretam Archonticorum à principibus nomen accepit. Principes enim ſe colere jactant, quos dicunt condidiſſe hunc mundum. Hos ſanctus Dioſcorus Cretenſis Epiſcopus condemnavit. Docens unum & verum Deum in partes ſubſtantiales penitus dividi omnino non poſſe. hunc eſſe Deum, qui ſe & prophetis oſtendit, & in ſe credentes ab omnibus periculis liberavit, ſicut Noë, ſicut Abraam, Iſaac, Iacob, filioſque Iſraël, Ionam, Suſannam, tres pueros. & innumerabilia erga credentes in ſe quæ oſtendit Deus ſigna virtutum, quibus ſe ſolum Deum oſtenderet. Adquieſcentes veritati recepit, diſſentientes vero æterna abominatione punivit.

XXI.

Prima & viceſima hæreſis à Marcione orta eſt. Duo principia fuiſſe confirmat boni & mali. Quem Epiphanius tria dicebat principia docuiſſe, boni, juſti, & pravi. ſed Euſebius Syrinum quendam, non Marcionem, trium principiorum atque naturarum ſcribit auctorem. Marcionitæ, cum univerſalem Orientis Eccleſiam macularent, ab Ori-

gene ſuperati, confutati, & per ſingulas ſunt civitates damnati. Item poſt aliquantos annos, jam devicti atque detecti, in Africanis partibus pullulabant: quos Tertullianus modis omnibus ita obtinuit, ut ipſos faceret contra ſectam ſuam publice prædicare.

XXII.

Viceſimaſecunda hæreſis Apellitarum eſt, quorum eſt princeps Apelles, qui duos quidem introducit Deos, ſed unum fatetur principium, hoc eſt bonum, & ab ipſo factum alterum: id eſt ab ipſo uno principio alterum factum eſt. Quod cum malignum eſſet inventum, à bono abjectum eſt: abjectum vero à bono principio hoc principium, quod malignabatur contra boni principi voluntatem, in ſua malignitate mundum fecit. Inde eſt quod ad malum nos promptiores quam ad bonum natura conſequitur, & plus in vitiis, inquit, quam in virtutibus delectatur. Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum adſerunt carnem ex elementis ſuſcepiſſe, quam aëri reddidit dum aſcenderet, & ſine ea intravit, in cælum. Hos Origenes ita perfecte ſuperavit, ut eorum cauſa periodeutes fieret, & per ſingulas quaſque urbes per Orientem eundo prædicaret. Et quia innumerabilia ſunt tractatorum ejus volumina, hæretici ſuperati libros ejus ad ſuos libitus callidiſſima argumentatione mutarunt, ut quos vellent decipere, dicerent ita Origenem ſuis expoſitionibus definiſſe. Vnde quicumque uſque hodie Origenem legit, ſi prudenti eum novit recitatione diſtinguere, deprehendit loca ab hæreticis maculata. quód ita eſſe ſanctus Pamphilus Martyr in ſuo apologetico declaravit.

XXIII.

XXIII.

Viceſima tertia hæreſis Cerdonianorum à Cerdone cepit exordium. qui duo principia ſibi adverſantia dogmatizavit, Deumque legis ac prophetarum non eſſe patrem Chriſti, nec bonum eſſe Deum, ſed juſtum, patrem vero Chriſti bonum. Chriſtumque ipſum nec natum ex femina, neque habuiſſe carnem, nec vere mortuum vel quicquam paſſum, ſed ſimulaſſe paſſionem. Contra hunc ſuſcepit ſanctus Apollonius Epiſcopus Corinthiorum, eumque omni cum Synodo Orientali damnavit. reddens rationem, hunc eſſe Deum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, de quo Moyſes in capite libri ſui dicit: *In principio* Gen. 1, 1. *fecit Deus cælum ac terram.* Omnes veteris Teſtamenti irreprehenſibiles ſecundum Apoſtolum adprobavit, dicens, *Quis accuſabit adverſus electos Dei?* Rom. 8, *Deus qui juſtificat, quis eſt qui condemnet?* Hæc autem 33. & his ſimilia, hac de cauſa condemnatis hæreticis, rationabili ſermone videbantur ſatisfacere ſacerdotes, ſive ut à præcipitio revocarent, ſive ut ſe oſtenderent ſectas damnare non homines. homines autem ſeipſos damnare, qui damnatas ſectas amplectentes à veritate diſcedunt.

XXIV.

Viceſima & quarta eſt hæreſis Severianorum, qui ſunt à Severo exorti. Vinum non bibunt, eo quod fabuloſa vanitate de ſemine Satanæ terram germinaſſe adſerunt vitem. Carnis quoque reſurrectionem cum veteri reſpuunt Teſtamento. Hos damnavit S. Euphranon Epiſcopus Rhodius. apud Rhodum enim horum ſuperſtitio orta eſt. Quos convicit ſcripturarum ratione ſanctarum, in quibus legitur Deus educere de terra panem ad confirmandum cor hominis,

Digitized by Google

nis, & vinum ad lætificandum. Vini autem non uſus neceſſarius, ſed nimietas inimica ſaluti culpanda eſt. Carnis vero reſurrectionem ab illo promiſſam eſſe, qui in præſenti mortuos ſuſcitabat: qui ſi mentitus fuiſſet, mortuos utique ſuſcitare non potuiſſet. Sanctos eſſe apices Teſtamenti veteris, ſicut fundamenta domus præclare docuit, dicens, Fundamenta domus circa ſqualida loca ſunt poſita, ut ea quæ ſunt ſuperius nullam contumeliam ſtercorum patiantur. Superiora ergo domus laquearibus auratis, parietibus pictis, & vario marmorum metallo ſunt edita. Inferiora vero, humori terreno vicina, digeſta etiam ſuperiorum univerſa ſuſcipiunt. Quid ergo nunc faciemus? ſi auferimus inferiora, ſuperiora corruunt. Tamen ſi deſtruenda erant inferiora, non hoc alius poterat niſi Dei filius facere. Videamus ergo utrumnam ipſe deſtruxerit hoc quod nos

Matth. 5. 17. dicimus permanere. *Putatis*, inquit, *quia veni legem deſtruere, aut prophetas? non veni legem ſolvere, ſed adimplere.* Hæc & his ſimilia dicens ſanctus Euphranon Epiſcopus: multos convertit. in errore vero perſeverantes perpetua ſanctione à communione privavit.

X X V.

Viceſima & quinta hæreſis eſt Tatianorum, à Tatiano quodam inſtituta, qui & Encratitæ appellati ſunt. Hi nuptias damnant, atque omnino pares eas fornicationibus, aliiſque corruptionibus faciunt. nec recipiunt in ſuo numero conjugio utentem, marem vel feminam. Non veſcuntur carnibus, eaſque omnino abominantur. Contra hos ſuſcepit ſanctus Epiphanius Ancyræ Galatiæ Epiſcopus, objiciens eis Pauli Apoſtoli epiſto-

1 Tim. 2. lam ad Timotheum primam, eo quod habeant

cau-

Digitized by Google

cauteriatam conſcientiam, prohibentes nubere, & abſtinere docentes à cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione, fidelibus & his qui cognoverunt veritatem. quia omnis creatura Dei bona eſt, & nihil abjiciendum quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Abſtinentes autem noſtros catholicos idcirco laudamus, quia quando non accipiunt cibos, quaſi qui dicant malum eſſe accipere, ſed bonum dicunt & optimum, quod ſe aſſerunt eſſe ad percipiendum indignos. Sic fit ut & illud ſtatutum Apoſtoli conſervetur, quod ait, *Non manducans manducantem non judicet, & manducans non manducantem non ſpernat.* Non enim creaturam accuſat, ſed ſe eſſe talem pronuntiât, quo ſe dicat hujus epulis refici non mereri. Rom. 14. 3.

XXVI.

Viceſima & ſexta hæreſis Cataphryges orti ſunt. qui hoc nomen à provincia non à dogmate adſumpſerunt. quorum auctores fuerunt Montanus, Priſca, & Maximilla. Hi itaque adventum Spiritus ſancti à Domino promiſſum in ſe potius, quam in Apoſtolis, fuiſſe adſerunt redditum. Secundas nuptias pro fornicationibus habent: & ideo dicunt eas permiſiſſe Apoſtolum Paulum, quia ex parte ſciebat, & ex parte prophetabat. Nondum enim venerat quod perfectum eſt. Hoc autem perfectum in Montanum, & in ejus prophetiſſas, quas ſupra diximus, veniſſe delirant. Hactenus dixerim de Cataphrygis. Cetera quæ dicuntur quaſi incerta prætereo. De infantis ſanguine eos accipere. quod ideo dicimus, ne videamur ignorare omnia quæ de eis dicuntur. hi enim qui contra eos ſcripſerunt, nihil hinc penitus memorarunt. Scri-

pſit

pſit contra eos librum ſanctus Soter Papa Vrbis,& Apollonius Epheſiorum Antiſtes. Contra quos ſcripſit Tertullianus preſbyter Carthaginenſis. Qui cum omnia bene, & prime, & incomparabiliter ſcripſerit, in hoc ſolum ſe reprehenſibilem fecit, quod Montanum defendit, agens contra Soterem ſupradictum Vrbis Papam, aſſerens falſa eſſe de ſanguine infantis, Trinitatem in unitate deitatis, pœnitentiam lapſis, myſteriis eiſdem unum Paſcha nobiſcum. Hoc ſolum diſcrepamus, inquit, quod ſecundas nuptias non recipimus & prophetiam Montani de futuro judicio non recuſamus. Ojiciunt quidam Tertulliano, quod animam ex traduce, id eſt animam dixerit ita gigni ex anima, ſicut ex corporibus corpus. quod catholica fides vehementer execratur.

XXVII.

Viceſimaſeptima hæreſis Pepuzianorum, qui à loco quodam nominati ſunt. Quam deſertam civitatem dicit Epiphanius. hanc autem iſti divinum aliquid eſſe arbitrantes, Hieruſalem vocant. Tantum dantes mulieribus principatum, ut ſacerdotio quoque apud eos honorentur. Dicunt enim duas Eccleſias, Quintillæ & Priſcillæ, in eadem civitate Pepuza. Vnum ſunt cum Cataphrygis. Contemptui autem eos habent, quod ſe iſti Pepuziani ceteris æſtiment meliores. Dicunt enim hanc Pepuzam villam fuiſſe Montani, Priſcæ, & Maximillæ. & quia ibi cœperunt prædicare, & ibi vixerunt, ideo locum appellari Hieruſalem. Et quia habitatores loci ſunt, ideo ceteris ſe eſſe meliores adſcribunt. Hos Apollonius ſuperavit Epheſiorum Epiſcopus.

XXVIII.

Viceſimaoctava hæreſis Artotyritas ſuos vocat, qui-

quibus hoc nomen oblatio dedit. Offerunt enim panem & caſeum, dicentes à primis hominibus oblationes Deo de fructibus terræ & ovium fuiſſe celebratas. Hos Pepuzianis jungit Epiphanius. contra quos nullus dignatus eſt nec loqui.

XXIX.

Viceſima nona hæreſis Teſſareſcædecatitæ dicuntur. eo quod quartadecima Luna Paſcha celebrant, quilibet ſeptimanæ occurrerit dies, & ſi dies Dominicus incurrerit, ipſo die jejunant & vigilant. Hoc tantum à nobis diſcrepant, nihil aliud. Hos ſanctus Ioannes Conſtantinopolites Epiſcopus tali ratione in multis civitatibus obtinuit. Abiit cum clero ſuo,& cum eis Paſcha celebravit, dicens, Sicut nos vobiſcum celebravimus Paſcha, venite & vos nobiſcum ſuſcipite. à quibus cum hoc impetravit, cœperunt unum ſapere & nobiſcum celebrare diem. Probaveruut enim totam fidei regulam ſic nos ſicut ſe tenere, ſic illos ſicut nos credere.

XXX.

Triceſima hæreſis Alogiorum. Propterea ſic vocantur, quia Verbum Dei eſſe filium accipere nolunt: in tantum ut Euangelium ſancti Ioannis dicant ipſius non eſſe. nec Apocalypſim accipiunt ejuſdem Ioannis. Quid multa? Omnia nobiſcum ſapiunt, Verbum Dei filium Dei penitus quaſi blaſphemiam execrantur. Hos Philo Epiſcopus ſæpe ſuperavit.

XXXI.

Triceſima prima hæreſis Adamianorum, qui ex Adam nomen acceperunt, cujus imitantur in paradiſo nuditatem, qualis fuit ante peccatum. Vnde & nuptias averſantur, quia nec prius quam dimiſſus eſſet de paradiſo, cognovit uxorem. Cre-

Credunt ergo quod nuptiæ futuræ non fuiſſent, ſi nemo peccaſſet. Nudi itaque mares feminæque conveniunt, nudi lectiones audiunt, nudi orant, nudi celebrant ſacramenta. Et ex hoc paradiſum ſuam arbitrantur Eccleſiam. Hos ſanctus preſbyter Polycarpus detexit, obtinuit, eliminavit.

XXXII.

Triceſima & ſecunda hæreſis Helceſeorum. Hos quidam Helchi nomine pſeudopropheta decepit: ex cujus genere duas mulieres tanquam Deas ab eis perhibetur adoratas. Cetera Hebioneis ſimilia tenere ab Epiphanio adſeruntur. Hos Papias preſbyter Achajæ obtinuit.

XXXIII.

Triceſimum & tertium locum hæreſis tenent Theodotiani, à quodam Theodoto inſtituti, hominem tantummodo Chriſtum Dei filium adſerentes. quod dicitur idem Theodotus propterea docuiſſe, quia in perſecutione lapſus iſto modo ſe caſus ſui devitare putabat opprobrium, ſi non Deum negaſſe, ſed hominem videretur. Hos obtinuit Craton Epiſcopus Syrorum.

XXXIV.

Triceſimam quartam hæreſem Melchiſedechiani invenerunt. Melchiſedech, ſacerdotem Dei excelſi non hominem fuiſſe, ſed virtutem Dei eſſe arbitrantur, illum locum ſequentes Apoſtoli ad Hebræos, quo ait, *ſine patre, ſine matre, ſine genealogia*. His occurrit Dionyſius Hieroſolymorum Epiſcopus, dicens hunc & patrem habuiſſe, & matrem, & hoc ideo dixiſſe Apoſtolum, quia & genealogia ipſius, & materna, paternave proſapia, non haberetur in eo ordine, in quo lex Hebræorum adſcripta eſt, cum Deo utique placuerit generatio Hebræorum.

Hebr. 7. 3.

XXXV.

Digitized by Google

XXXV.

Triceſima quinta hæreſis ſunt Bardeſanitæ, à quodam Bardeſane perverſi. Qui Bardeſan dicitur perfectus fuiſſe catholicus, ſed poſtea in id per Valentini diſcipulum incurriſſe, ut malam diceret carnis humanæ creaturam, animæ bonam. Hunc in Cappadocia damnavit Theocritus Epiſcopus, docens Deum bonum utraque copulaſſe, & carnis humanæ non naturam, ſed prævaricationem eſſe culpandam.

XXXVI.

Hæreſis triceſima & ſexta Noëtianorum eſt, qui dicunt Chriſtum eundem ipſum eſſe Patrem & Spiritum ſanctum. non per ſubſtantiam, ſicut nos, ſed per perſonam, ut putative dicatur Spiritus ſanctus, non veraciter. Hic damnatus eſt à Tranquillo Epiſcopo Chalcedoniorum Syriæ. Oſtendit enim Patrem verum, Filium verum, Spiritum ſanctum verum, unum quidem Deum per unam ſubſtantiam, ſed tres per diſtinctionem perſonas credi debere confirmans.

XXXVII.

In triceſimam & ſeptimam hæreſim Valeſii incurrunt. qui infelices & ſeipſos caſtrant, & hoſpites ſuos. Hoc modo dicunt illud impleri, *qui ſe caſtraverunt propter regnum cælorum.* Alia quo- Matt.19.
que hæretica docere dicuntur, & turpia, ſed quæ 12.
illa ſint, nec ipſe Epiphanius commemorat, nec uſpiam potui reperire. Hi à Synodo ſunt damnati Achajæ.

XXXVIII.

Triceſima octava hæreſis eſt Catharorum, qui ſeipſos iſto nomine quaſi propter munditiam ſuperbiſſime appellarunt. Secundas nuptias non admittunt. Pœnitentiam denegant, Novatum

ſectantes hæreticum : unde etiam Novatiani appellantur. Contra hunc beatus Xyſtus Martyr & Epiſcopus, & venerabilis Cyprianus Martyr Chriſti, tunc Carthaginienſis Pontifex, ſcripſit contra Novatum librum de lapſis, quod poſſint per pœnitentiam recuperare gratiam, quam labendo perdiderant : quod Novatus adſerebat fieri omnino non poſſe.

XXXIX.

Triceſima & nona hæreſis Angelicorum eſt. Hi Angelicos ſe vocari voluerunt. Dicunt enim Angelos debere adorari & excoli animo, & ipſis preces effundi, ut ipſi quem ſciunt poſſe plus à ſe, ipſi faciant votis hominum & petitionibus ſubvenire. Hos Epiphanius jam omnino defeciſſe teſtatur victos à Theophilo Apameo Epiſcopo.

XL.

Quadrageſimo loco apparuerunt Apoſtolici, qui ſe hoc nomine adroganter appellari voluerunt, eo quod in ſuam communionem non recipiunt utentes conjugibus, & res proprias poſſidentes, quales habet catholica, & monachos, & clericos plurimos. Ideo ergo iſti hæretici ſunt, quia ſe ab Eccleſia ſeparantes, nullam ſpem eos putant habere qui utuntur his rebus, quibus ipſi carent. His in eo teſtimonio occurrit Eccleſia, in quo dicit Apoſtolus, Etiamſi corpus meum non ſolum abſtinentiis macerem, ſed etiam tradam eum igni ut ardeat, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.

1 Corin. 13, 3.

XLI.

In quadrageſimam & primam hæreſim Sabelliani à Sabellio incurrerunt. ipſum ſibi Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi ſanctum Spiritum confitentes. Hi ſunt qui & Praxeani dicuntur, qui habuerunt inter initia Praxeam quendam docto-

Digitized by Google

doctorem. Dicuntur & Hermogeniani; quia Hermogenem habuerunt in Sabellii contubernio. His occurrit Doſitheus Epiſcopus Seleuciæ, docens eum totam Trinitatem negare, dum ſe æſtimat unitatem defendere. Pater enim ingenitus, Filius genitus, Spiritus ſanctus procedens ex Patre, coæqualis per omnia Patri & Filio. Deitas enim ſic recipit unitatem ſubſtantiæ, ut diſtinctionem perſonæ non perdat.

XLII.

Quadrageſimam & ſecundam hæreſim Origeniani inchoaverunt, à quodam Origene, non illo qui fere omnibus notus eſt, ſed alio Syro quodam ſceleratiſſimo: de quo dicit Epiphanius, quod tam turpia docuerit, ut nec debeant per ſcripturam ad noſtros poſteros deſtinari.

XLIII.

Quadrageſimam & tertiam hæreſim alii Origeniani continuo ſubſecuti ſunt, ut dicit Epiphanius: qui & mortuorum reſurrectionem negant: Chriſti autem creaturam eſſe ſanctum Spiritum dicunt: paradiſum autem, & cælos, allegorice dicta firmantes. Hi duo Origenes prava quæque ſcripſerunt. Hæretici & perverſi doctores noſtro Origeni catholico tractatori miſcuerunt ut adimpleretur quod dicitur à Domino in Euangeliis, *Nonne bonum ſemen ſeminaſti in agro tuo? unde ergo hæc zizania? Qui reſpondens ait, inimicus homo hæc fecit.* Matt. 13, 27. Ideo enim Origenem legentes invenimus catholicum, & contra hæreſes dimicantem & vincentem. identidem legentes Origenem invenimus hæreticum & adverſa fidei adſtruentem. Litteræ verba tradunt & ſenſus. ſi poſſent & facies loquentium demonſtrare, errorem nullus poterat de perſona doctoris incurrere. Nam & illud caven-

dum eſt, quod Ampullianus quidam hæreſiarches Bithynius, qui docebat poſt Origenem Eccleſiam Dei. Hic incurrit talem hæreſem, ut diceret omnes criminoſos cum diabolo & dæmoniis eouſque in gehenna decoqui, uſquequo puri redditi poſſint inde mundi & immaculati egredi, ad hoc quod antea fuerant alieni à culpa ſuo iterum creatori reſtitui. Hic dum argueretur ab univerſali Eccleſia, cœpit proferre libros Origenis, quos ipſe vitiaverat, & dicere, Ecce quia Origenes ita ſenſit. & præcipue in quatuor periarchon libris. Sed qui ſani ſenſus eſt, & habet ſplendidos oculos, ſic videt addita in Origenis opuſculis mala iſta atque cognoſcit, ſicut ſi in ſtragulo coccineo pannos albos, aut cujuſque alterius coloris cernat adſutos. Quod ita eſſe ſanctus Martyr Pamphilus docet, qui antequam ad martyrii coronam adtingeret, inreprehenſibiliter cathedram epiſcopatus obtinuit & ſanam doctrinam Dei populis miniſtravit. Hic edidit apologeticum, & omnia quæ de Origene catholici ignorantes mentiuntur, excluſit oſtendens ea, quæ reprehenſibilia inveniuntur in ejus opuſculis, Origenis non eſſe, ſed eorum quos ipſe ſuperaverat: alia vero, quæ tota perverſa ſunt, aliorum duorum hæreticorum eſſe, qui Origenis nomen, non fidem, nec conſcientiam habuerunt.

XLIV.

Quadrageſima & quarta hæreſis, à Paulo Samoſateo inventa, Paulianum ſibi populum fecit. Chriſtum non ſemper fuiſſe, ſed à Maria cœpiſſe, nec amplius eum aliud quam hominem dicunt. Hæc hæreſis antea fuit Artemonis. quæ cum defeciſſet, ab iſto Paulo Samoſateo reſtaurata eſt. Item contra hunc ſuſcipiens Eccleſia, licet poſt mul-

multos annos, dum defeciſſet cum ad ſertotibus prava defenſio, à Photino noſtro Epiſcopo renovata iterum, Photinianum populum pullulavit. Sive ergo Artemonianos audias, ſive Paulianos, ſive Photinianos, unum ſcias: ſicut Donatiſtas, & Monteſes, & Parmenianos vocamus, Donatiſtas à Donato, Monteſes à montis latebra, Parmenianos à Parmeniano, qui per totam Africam libros contra nos conficiens, & novos pſalmos faciens circumibat, contra quem noſter ſcripſit Optatus. Sed redeamus ad Paulianos. Omnibus notum eſt, nos hæreticos venientes non rebaptizare, ſed manum reconciliationis accedere, & ita divino populo tradere ſociandos. De Paulianis autem ſancta Synodus Nicæna hoc conſtituit, ut prorſus baptizentur, ita demum catholico populo ſocientur. Vnde ego credo regulam eos baptiſmatis integram non tenere. & ideo hoc decretum à Chriſti Pontificibus conſtitutum.

X L V.

Quadrageſima & quinta hæreſis Photinianorum eſt à Photino, quem ſic dixi noſtrum Epiſcopum fuiſſe, ſicut fuit noſter Iudas Scariotes Apoſtolus. Hic ſuum populum fecit. Hominem quidem purum fuiſſe Chriſtum docebat, & à Maria cœpiſſe cum Paulo Samoſateo ſentiebat: ſed Spiritum ſanctum ſemper fuiſſe memorabat. hoc ſolum quadrageſimæ quartæ hæreſi diſſimilis, quod populum à ſe perverſum ſuo nomine nuncupavit.

X L V I.

Quadrageſima & ſexta hæreſis à Mane inchoata Manichæorum contubernium fecit. Hic Manes, cum eſſet civis Perſa, & in Perſide docens ſe Apoſtolum Dei diceret, etiam ad Græciam

devolutus eſt. Quem Græci diſcipuli ejus, devitantes nomen inſaniæ, Manichæum vocari decreverunt, id eſt quaſi manna fundentem. Iſte duo principia inter ſe diverſa & adverſa, eademque æterna & coæterna, hoc eſt ſemper fuiſſe compoſuit: duaſque naturas atque ſubſtantias, boni ſcilicet & mali, ſequens alios antiquos hæreticos, opinatus eſt. Quorum inter ſe pugnam & commixtionem, & boni à malo purgationem, & boni quod purgari non potuit cum malo in æternum damnationem, ſecundum ſua dogmata adſeverantes, multa fabulantur, quæ cuncta intexere nimis longum eſt. Dicunt animas bonas, & ejuſdem cujus eſt Deus eſſe naturæ. Proinde mundum à natura boni, hoc eſt à natura Dei factum confitentur quidem, ſed de commixtione boni & mali, quæ facta eſt quando inter ſe utraque natura pugnavit. Ipſam vero boni à malo purgationem ac liberationem, non ſolum per totum mundum, & de omnibus ejus elementis, virtutem Dei facere dicunt: verum etiam Electos ſuos per alimenta quæ ſumunt. Et eis quippe alimentis, ſicut univerſo mundo, Dei ſubſtantiam perhibent eſſe commixtam. quam purgari putant in Electis ſuis eo genere vitæ quo vivunt Electi Manichæorum, velut ſanctius & excellentius Auditoribus ſuis. Nam his duabus profeſſionibus, hoc eſt Electorum & Auditorum, Eccleſiam ſuam conſtare voluerunt. In ceteris autem hominibus, etiam in ipſis Auditoribus ſuis, hanc partem bonæ divinæque ſubſtantiæ, quæ mixta & colligata in eſcis & potibus detinetur, maximeque in eis qui generant filios, arctius & inquinatius conligari putant. Quicquid vero undique purgatur luminis, per quaſdam naves, quas eſſe

Lu-

Digitized by Google

Lunam & Solem volunt, regno Dei tanquam propriis ſedibus reddi. Quas naves de ſubſtantia Dei pura perhibent fabricatas. lucemque iſtam corpoream, animantium mortalium oculis adjacentem, Dei dicunt eſſe naturam. Quinque enim elementa, quæ genuerunt principes proprios, genti tribuunt tenebrarum: eaque elementa his nominibus nuncupant, fumum, tenebras, ignem, aquam, ventum. In fumo nata animalia bipedia, unde homines ducere originem cenſent. in tenebris repentia, in igni quadrupedia, in aquis natatilia, in vento volatilia. His quinque elementis malis debellandis alia quinque elementa de regno & ſubſtantia Dei miſſa eſſe dicunt, & in illa pugna fuiſſe permixta, fumo aërem, tenebris lucem, igni malo ignem bonum, aquæ malæ aquam bonam, vento malo ventum bonum. Naves autem illas, id eſt duo cæli luminaria, ita diſtinguunt, ut lunam dicant factam ex bona aqua, ſolem vero ex bono igni. Eſſe autem in eis navibus ſanctas virtutes, quæ ſe in maſculos transfigurant, ut inliciant feminas gentis adverſæ: & per hanc inlecebram commota eorum concupiſcentia, fugiat de illis lumen quod membris ſuis permixtum tenebant, & purgandum ſuſcipiatur ab angelis lucis, purgatumque in illis navibus imponatur ad regna propria reportandum. Qua occaſione coguntur Electi eorum velut Euchariſtiam conſperſam cum ſemine humano ſumere, ut etiam inde, ſicut de aliis cibis quos accipiunt, ſubſtantia illa divina purgetur. Sed hoc ſe dum facere negant, detecti ſunt. Nam & apud Eccleſiam Carthaginienſem ita ſunt manifeſtati. Denique in conventu Epiſcoporum, coram omni populo, confeſſa eſt puella, nondum annorum duodecim, iſtam ne-

fariam turpitudinem, & multas prodidit, ſeipſam adſerens ob hoc ſceleſtum ſacramentum eorum vim eſſe perpeſſam. Cui cum primo non crederetur uni puellæ & ſoli, plurimas nominavit hujus facinoris conſcias. quas ſolatio Vrſi Tribuni, qui tunc domui regiæ præfuit, de diverſis domibus, ubi latebra fovebantur, ejectas à clericis ad Eccleſiam Reſtitutam adductas, id ipſum propter hoc ipſum paſſas, vix & compulſas conſtat eſſe confeſſas. Tunc totum illud turpiſſimum ſcelus, ubi ad excipiendum & commiſcendum concumbentium ſemen farina ſubſternitur, profertur in medium, & quod cum infinito rubore dicitur & auditur, recenti tempore nonnulli eorum ad Eccleſiam adducti ſunt, ſicut geſta Epiſcopalia ibidem confecta teſtantur. Tria ergo genera eorum ſunt, Cathariſtæ, Macarii, & Manichæi. Omnes tamen has tres formas ab uno magiſtro, ipſo ſcelerato Mane, conſtat eſſe conſcriptas. Omnes denique Manichæum legunt, & omnes libri ejus ſunt eis ſine dubitatione communes. In quibus libris agitur, ut per concupiſcentiam diſſolvatur utriuſque ſexus princeps tenebrarum, & fugiat ab eis liberata divina ſubſtantia, quam in hominis ſemine teneri exiſtimant inquinatam. unde etiam Catharistæ appellantur, quaſi purgatores. Qui cum carnes non comedant, tam polluti ſunt, ut cum omnibus ſuis etiam humanum ſemen adſumant, cum nec ova ipſa accipiant. ajunt enim, & ipſa dum franguntur exſpirant. Sed nec alimonia lactis utuntur. non quia putent divinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum: ſed quia ſibi error ipſe non conſtat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe principis tenebrarum: & tamen uvas comedunt, cum de muſto

ſto nec digitum intinctum adſumant. Animas Auditorum ſuorum in Electos revolvi arbitrantur. ceteras autem animas, quæ eorum non ſunt Auditorum, in pecora redire adſerunt, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt, atque aluntur in terra. Herbas enim, & arbores, ita in eis vitam eſſe putant, ut ſentire ea cum læduntur æſtiment, & dolere. Vnde & agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentior, tanquam plurimorum homicidiorum ream, dementes accuſant, & præcipue cum agrum ab ſpinis viderint repurgari. ſuiſque Auditoribus ideo arbitrantur ignoſci, quia præbent inde alimenta Electis ſuis: ut divina illa ſubſtantia, in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipſi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec folia ulla vellentes, expectant hæc afferri uſibus ſuis ab Auditoribus ſuis, viventes tot & tantis ſecundum ſuam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eoſdem Auditores ſuos, ut ſi veſcuntur carnibus animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cæleſtibus conligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et ſic utuntur conjugibus, ut conceptum generationemque devitent: ne divina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id eſt per eſcas & potus, venire animas credunt. Vnde & nuptias ſine dubitatione condemnant, & quantum in ipſis eſt prohibent, quando generare prohibent, propter quod ſunt copulanda conjugia. Adam & Evam ex principibus fumi adſerunt natos: quorum pater ajunt nomine Saclas. quem ſociorum ſuorum fœtus omnium adſerunt devoraſſe, &

fariam turpitudinem, & multas prodidit, ſeipſam adſerens ob hoc ſceleſtum ſacramentum eorum vim eſſe perpeſſam. Cui cum primo non crederetur uni puellæ & ſoli, plurimas nominavit hujus facinoris conſcias. quas ſolatio Vrſi Tribuni, qui tunc domui regiæ præfuit, de diverſis domibus, ubi latebra fovebantur, ejectas à clericis ad Eccleſiam Reſtitutam adductas, id ipſum propter hoc ipſum paſſas, vix & compulſas conſtat eſſe confeſſas. Tunc totum illud turpiſſimum ſcelus, ubi ad excipiendum & commiſcendum concumbentium ſemen farina ſubſternitur, profertur in medium, & quod cum infinito rubore dicitur & auditur, recenti tempore nonnulli eorum ad Eccleſiam adducti ſunt, ſicut geſta Epiſcopalia ibidem confecta teſtantur. Tria ergo genera eorum ſunt, Cathariſtæ, Macarii, & Manichæi. Omnes tamen has tres formas ab uno magiſtro, ipſo ſcelerato Mane, conſtat eſſe conſcriptas. Omnes denique Manichæum legunt, & omnes libri ejus ſunt eis ſine dubitatione communes. In quibus libris agitur, ut per concupiſcentiam diſſolvatur utriuſque ſexus princeps tenebrarum, & fugiat ab eis liberata divina ſubſtantia, quam in hominis ſemine teneri exiſtimant inquinatam. unde etiam Cathariſtæ appellantur, quaſi purgatores. Qui cum carnes non comedant, tam polluti ſunt, ut cum omnibus ſuis etiam humanum ſemen adſumant, cum nec ova ipſa accipiant. ajunt enim, & ipſa dum franguntur expirant. Sed nec alimonia lactis utuntur. non quia putent divinæ ſubſtantiæ nihil ibi eſſe permixtum: ſed quia ſibi error ipſe non conſtat. Nam & vinum non bibunt, dicentes fel eſſe principis tenebrarum: & tamen uvas comedunt, cum de muſto

ſto

Digitized by Google

ſto nec digitum intinctum adſumant. Animas Auditorum ſuorum in Electos revolvi arbitrantur. ceteras autem animas, quæ eorum non ſunt Auditorum, in pecora redire adſerunt, & in omnia quæ radicibus fixa ſunt, atque aluntur in terra. Herbas enim, & arbores, ita in eis vitam eſſe putant, ut ſentire ea cum læduntur æſtiment, & dolere. Vnde & agriculturam, quæ omnium artium eſt innocentior, tanquam plurimorum homicidiorum ream, dementes accuſant, & præcipue cum agrum ab ſpinis viderint repurgari. ſuiſque Auditoribus ideo arbitrantur ignoſci, quia præbent inde alimenta Electis ſuis: ut divina illa ſubſtantia, in eorum ventre purgata, impetret eis veniam, quorum traditur oblatione purganda. Itaque ipſi Electi, nihil in agris operantes, nec poma carpentes, nec folia ulla vellentes, expectant hæc afferri uſibus ſuis ab Auditoribus ſuis, viventes tot & tantis ſecundum ſuam vanitatem homicidiis alienis. Monent etiam eoſdem Auditores ſuos, ut ſi veſcuntur carnibus animalia non occidant, ne offendant principes tenebrarum in cæleſtibus conligatos, à quibus omnem carnem dicunt originem ducere. Et ſic utuntur conjugibus, ut conceptum generationemque devitent: ne divina ſubſtantia, quæ in eos per alimenta ingreditur, vinculis carneis ligetur in prole. Sic quippe in omnem carnem, id eſt per eſcas & potus, venire animas credunt. Vnde & nuptias ſine dubitatione condemnant, & quantum in ipſis eſt prohibent, quando generare prohibent, propter quod ſunt copulanda conjugia. Adam & Evam ex principibus fumi adſerunt natos: quorum pater ajunt nomine Saclas. quem ſociorum ſuorum fœtus omnium adſerunt devoraſſe, &

quicquid inde commixtum divinæ ſubſtantiæ ceperat, cum uxore concumbens in carne prolis, tamquam tenaciſſimo vinculo, conligaſſe. Chriſtum autem fuiſſe adfirmant quem dicit noſtra ſcriptura ſerpentem. à quo inluminatos adſerunt eorum adſpectus, ut bonum malumque dinoſcerent. eumqne Chriſtum noviſſimis temporibus adveniſſe, ad animas non ad corpora liberandâ. Nec fuiſſe in carne vera, ſed ſimulatam ſpeciem carnis ludificandis humanis ſenſibus præbuiſſe: ubi non ſolum mortem, verum etiam reſurrectionem ſimiliter mentiretur. Deum, qui legem per Moyſen dedit, & in Hebræis prophetis locutus eſt, non eſſe Deum verum, ſed unum ex principibus tenebrarum adfirmant. Ipſiuſque teſtamenti novi ſcripturas tamquam falſatas ita legunt, ut quod volunt inde accipiant, quod nolunt rejiciant: eiſque tamquam totum verum habentes nonnullas apocryphas anteponunt. Promiſſionem Domini noſtri Ieſu Chriſti de Paraclito, in ſuo hæreſiarche Manichæo dicunt eſſe completam. Vnde ſe ipſe in ſuis litteris Ieſu Chriſti Apoſtolum dicit, eo quod Ieſus Chriſtus ſe eum miſſurum eſſe promiſerit: & ideo ejus Apoſtolus, quia in eo miſſus ſit Spiritus ſanctus. Propter quod etiam ipſe Manichæus duodecim diſcipulos habuit, inſtar Apoſtolici numeri. quem numerum Manichæi hodieque cuſtodiunt. Nam & ex Electis ſuis habent duodecim quos appellant Magiſtros, & tertium decimum Principem ipſorum. Epiſcopos autem LXXII, qui ordinantur à Magiſtris, & preſbyteros, qui ordinantur ab Epiſcopis, numeri indefiniti. Habent etiam Epiſcopi diaconos. Iam ceteri tantummodo Electi vocantur. Sed mittuntur etiam ipſi, qui videntur

tur idonei, ad hunc errorem, vel ubi eſt augmentandum, vel ubi non eſt ſeminandum. Baptiſmum in aqua nihil cuiquam perhibent ſalutis adferre: nec quemquam eorum quos decipiunt baptizandos putant. Orationes faciunt ad Solem per diem, quaqua verſum circuit: ad Lunam per noctem ſi apparet. ſi autem non apparet, ad Aquiloniam partem, qua ſol cum occiderit ad Orientem revertitur. Stant orantes. Peccatorum autem originem non libero arbitrio voluntatis, ſed ſubſtantiæ tribuunt gentis adverſæ, quam dogmatizant eſſe hominibus mixtam. Omnem vero carnem non divinitatis, ſed malæ mentis adſerunt eſſe opificium, quæ contrario Deo coæterna eſt. Carnalem concupiſcentiam, qua caro concupiſcit adverſus ſpiritum, ſubſtantiam volunt eſſe contrariam, ſic nobis adhærentem, ut quando liberamur atque purgamur, iterum reparetur, & in ſua natura etiam ipſa immortaliter vivat. In uno homine duas dicunt animas eſſe, & duas mentes, eaſque per naturam contrarias, bonas & malas: eaſque dicunt inter ſe habere conflictum. Finito autem iſto ſæculo, poſt conflagrationem mundi, iſtam ſubſtantiam mali in globo quodam dicunt tamquam in carcere eſſe victuram. Cui globo adfirmant acceſſurum, & ſemper adhæſurum, & quaſi coopertorium atque tectorium, ex animabus natura quidem bonis, ſed tamen quæ non potuerint à naturæ malæ contagione mundari.

XLVII.

Quadrageſimus ſeptimus hæreticus Hieraca Hieracitas inſtituit. Hi reſurrectionem carnis negant. Monachos tantum & monachas, & eos qui conjugia non habent, in communionem recipiunt. Ad regnum cælorum non pertinere parvulos dicunt,

cunt, quia non ſunt eis merita ulla certaminis quo vitia ſuperantur. Contra hunc ſuſcepit ſanctus Aphrodiſius Helleſponti Epiſcopus, adſerens reſurrectionem carnis & novo & veteri Teſtamento eſſe firmatam. Infantes autem jam homines eſſe: & ſicut ſi quis eos occidat homicidæ ſuſcipit crimen, ſic qui eos baptiſmate conſecraverit, mercedem ſibi de hominis ſalute adquirit. Communionem nulli negandam, niſi his qui prætermiſſis conjugibus propriis alienas requirunt.

XLVIII.

Quadrageſima octava hæreſis eſt Meletianorum, à Meletio quodam. Nolentes orare cum his qui in perſecutione ceciderant, ſchiſma fecerunt. Quibus reſtitit ſanctus Baſilius Epiſcopus Cappadociæ, dicens majorem ſpei & fidei caritatem, quæ omnia tolerat, & manum lapſis magis porrigendam. Hortatur etiam deſperantes recuperatione provocandos ut redeant: ſi quidem etiam Angelis in cælo gaudium faciat unus pœnitens, quam nonaginta novem qui non peccaverunt.

XLIX.

Quadrageſimus & nonus hæreſiarches Arrius ortus eſt. Hic populos Arrianos inſtituit. qui Patrem & Filium & Spiritum ſanctum nolunt eſſe unius ejuſdemque ſubſtantiæ, ſed eſſe Filium creaturam, Spiritum vero ſanctum creaturam creaturæ, hoc eſt ab ipſo Filio creatum volunt. In eo autem quod Chriſtum ſine anima carnem ſuſcepiſſe arbitratur, Epiphanius prodidit. Et ideo Patrem majorem Filii ſic dicit, quaſi creatorem: & Filium majorem Spiritu ſancto, quaſi creatorem ejus. Noſtros, id eſt catholicos, ad ſe venientes rebaptizant. utrum hoc etiam aliis, id eſt non

non catholicis, faciant, nuſquam legitur. Primus contra hos ſuſcepit ſanctus Heſiodus Epiſcopus Corinthiorum, vir qui etiam mortuos ſuſcitaſſe adſeritur. Vnde factum eſt, ut plus ſanctitatem quam diſputationem adtendentes homines Arrium execrarentur. Siquidem ejus orationibus adſeritur ipſe Arrius in ſeceſſum ſedens univerſa ſimul interanea cum ſtercoribus profudiſſe. Iam contra ſectam ejus tam Orientales quam etiam Occidentales Epiſcopi ſcripſerunt. Quibus eum per ſingula capita dogmatum ſuorum adſerunt blaſphemantem.

L.

Quinquageſimos Audianos memorat Epiphanius, non quidem hæreticos, ſed ſchiſmaticos. quos alii Anthropomorphitas vocant, quoniam Deum ſibi fingunt, cogitatione carnali, in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis, dicentes, *Oculi Domini ſuper juſtos, cælos opera digitorum Dei.* &, Pſal. 33. 16. *Deus ſedet ſuper ſedem ſanctam ſuam.* &, *Deus ſtetit in* Pſal. 8. 4. *Synagoga Deorum*, & cetera. quæ poſſunt de viſibili Pſal. 46. 9. cogitari. Quia ergo in nullo alio errant, mitius eos agens Epiphanius, noluit hæreticos nominare, Pſal. 81. 1. dans veniam ruſticitati. Quod autem nobis non communicant, divitias habere noſtros Epiſcopos clamant, quas Chriſtus etiam laicos contemnere jubet. Paſcha cum Iudæis celebrant. Egit contra hos Zenon Syrorum Epiſcopus.

L I.

Quinquageſima prima hæreſis Eunomianorum, ab Eunomio. Hi ſerpentis antiqui ſpiritu pleni, non ſolum minorem Filium, ſed nec ſimilis eſſentiæ eſſe Filium adſeverant. Egit contra hos Ammonius preſbyter.

L I I. Quin-

LII.

Quinquageſima ſecunda hæreſis Macedonianorum, à Macedonio. Hos Pneumatomachos appellant per Orientem noſtri, eo quod de Spiritu ſancto litigent. Nam de Patre & Filio recte ſentiunt: Spiritum vero ſanctum nolunt credere Deum, creaturam eum dicentes. Philaſter ſcribit Macedonium Spiritum ſanctum deitatem Patris & Filii dicere. quo dicto videtur proprietatem ſuam ſancto Spiritui denegare.

LIII.

Quinquageſima tertia hæreſis Aërianorum, ab Aërio quodam. qui cum eſſet preſbyter, doluiſſe fertur quod non eſſet Epiſcopus ordinatus. Cœpit docere, non debere pro dormientibus offerri. nec ſtatuta celebranda eſſe jejunia: ſed cum quiſque voluerit jejunandum, ne videatur eſſe ſub lege. Preſbyterum ab Epiſcopo nulla differentia debere diſcerni: & non admitti ad communionem ſuam, niſi à conjugio abſtinentes.

LIV.

Quinquageſima & quarta hæreſis Aëtiana, ab Aëtio vocata. Hi cum Eunomio diſſimilem per omnia Patri Filium confitentur: & dicunt, quicumque noſtræ fidei conſentiunt, ſciant ſibi nulla obeſſe peccata, quæcumque ab eis fuerint perpetrata. Contra hos Synodus xx Epiſcoporum egit in Achaja.

LV.

Quinquageſima & quinta hæreſis Apollinariſtarum eſt, ab Apollinare inchoata. Negant hominem perfectum in Chriſto, ſed adſumptionem carnis ita factam, ut intus in homine pro anima divinitas eſſet. Carnem autem & Verbum unius ejuſdemque voluit docere ſubſtantiæ. Contentio-

tioſiſſime adſerentes *Verbum caro factum eſt,* volunt Ioan. 1, 14.
docere aliquid de Verbo in carnem converſum. Inſuper etiam de Mariæ carne nihil eſſe ſuſceptum in incarnatione Domini noſtri Ieſu Chtiſti confirmant. Egit contra hunc Synodus in Antiochia.

LVI.

In quinquageſima ſexta hæreſi Antidicomaritæ appellati ſunt hæretici, qui Mariæ virginitati uſque adeo contradicunt, ut adfirment eam poſt Chriſtum natum viro fuiſſe commixtam. Egit contra hos Theodotus Cyprius Epiſcopus.

LVII.

Quinquageſimam & ſeptimam hæreſem Meſſalianorum invenimus. quod nomen ex lingua Syra eſt, Græce autem dicuntur Euchitæ, ab orando ſic appellati. Non pſallunt, jugiter orant. Sed quia hoc ſolum faciunt, non habentes caritatem, nec alloquii, nec humanitatis, inter hæreticos ſunt à ſancta Synodo confutati. Condemnant etiam eos Monachos, qui aliud, præter legendi orandique opera, aliquid fuerint operati, vel artis, vel agriculturæ. Vſque ad iſtos Epiphanius pervenit, & ſiluit. Credo eum uſque ad id temporis vixiſſe. Præterita enim & præſentia indicare humana curioſitàs poteſt: Deus autem ſolus poteſt futura prædicere. Verum quia Philaſter in ſuis & ipſe libris, quibus diverſorum retexit hiſtorias, etiam hæreſes quæ ortæ fuerint ceteris quibuſque temporibus, ex ejus nunc libris diſcerpendo ſolas hæreſes in medium exhibemus. Egit contra hos Ephrem preſ byter Syrorum.

LVIII.

Quinquageſimam & octavam hæreſem Metangiſmonitæ inchoaverunt. Αγγεῖον Græco ſermone vas dicitur. μεταγγισμὸς autem vas intra vas advertitur.

titur. Ex iſto ergo articulo hoc ſibi nomen adſumunt, dicentes, ſic eſt Filius in Patre, quomodo vas minus intra vas majus. Quos ideo repudiat Eccleſia: quia de incorporeo carnaliter ſentiunt, & de incomprehenſibili liniatis agunt, & de æqualitate divinitatis gradus ſtatuunt. Egit contra hos Diodorus Epiſcopus Nicomediæ.

LIX.

In quinquageſima & nona hæreſi Seleuciani ſunt, orti à Seleuco. qui elementorum materiam, de quo factus eſt mundus, non à Deo factam dicunt, ſed Deo coæternam. nec animam Deo tribuunt creatori, ſed creatores eſſe animarum Angelos volunt de igni & de ſpiritu. Malum autem adſerunt eſſe aliquando à materia. Negant Salvatorem in carne ſedere ad dexteram Patris: ſed ea ſe exuiſſe perhibent, eamque in Sole poſuiſſe, accipientes occaſionem de pſalmo, ubi legitur, Pſal. 18. 6. *In ſole poſuit tabernaculum ſuum.* Negant viſibilem Paradiſum, baptiſmum in aqua non accipiunt, reſurrectionem non credunt futuram, ſed cotidie adſerunt in generatione filiorum. Hos non admittit diſciplina fidei noſtræ nobiſcum diſceptationem adſumere: ſed pro definitionibus ſuis eos præcepit anathemati mancipari.

LX.

Sexageſimam hæreſim Proclinianiſtæ à Proclino fecerunt. Dicunt iſti, Dei Filium ſic paruiſſe in terris, ſicut Raphaëlem angelum, aut Gabrielem, non carne adſumpta, ſed viſa. Sic ſe miſcent populo Dei, ut non intelligantur. Denique quia nullum alium errorem patiuntur, communicant nobiſcum: & hoc eſt quod pejus eſt, quia quoſcumque ſimplices invenerint, ita eos faciunt ſentire & credere. Hoc ſcelus valde ini-

Digitized by Google

inimicum ſalutis noſtræ ita adſtruunt, Ergo Deus illas ſordes habuit ſuſtinere, quas naturalis conceptio partus & parientis infligit? debuitque Dei filius habere alvum digeſta ſua abluentem, humorem de naribus, ſalivam ex ore, ſordem in aure, in ventre ſtercora, putorem in exhalatione? & his ſimilia, quæ inſania mentis excogitat. His Tertullianus vehementer occurrit, oſtendens Dei Filium impaſſibilem eſſe, & iſta divinitati non injuriam ſed laudem adferre. Sicut rex, qui volens anulum aureum cum gemma de cloaca levare, induit ſe ſervilem tunicam, & ſic deſcendit ad cloacam, ut ſtercoreas injurias tunica illa ſuſcipiat, & mittens manum, & anulum aureum cum gemma eripiens, aqua abluit, & digito ſuo regali induit, poſteaquam inde aſcenderit. Ita proculdubio Dei Filius, formam ſervi ſuſcipiens, venit non ſolum ad inferos cælorum, ubi nos ſumus qui videmur vivere in mundo, ſed etiam ad inferos inferiores, qui tanto à nobis ſunt profundius, quanto nos ſumus cælo. & ut inde humanum genus eriperet, cunctarum ſordium, non ſuarum, ſed noſtrarum, eſt ſqualorem perpeſſus. Pro viventibus ſic vixit, ſicut nos qui vivimus, nihil aliud diſtans, niſi hoc, quod immaculatam vitam exercuit, habens intra ſe Deum. pro mortuis ſic mortuus, nihil diſtans niſi hoc, quod tertia die reſurrexit à mortuis. & quod propterea ſic deſcendit, ut ſanctos inde erueret, & mortis principem religaret. Quod autem anulum aureum cum gemma poſuit, hoc in ſequenti lectione edocuit, quod anulum corpus poſuerit, gemmam vero incluſam eſſe animam declaravit. Hunc ergo anulum de ſtercoribus antiquis, & de cloaca hujus mundi, Chriſtus elevans, ac baptiſmatis unda

D per-

perſundens, ab omni ſqualore abluens, in ſuis fecit ſanctis manibus radiare. Si quidem ita legi-
Sap. 3, 1. tur, *Iuſtorum autem animæ in manu Dei ſunt.* & ite-
Pſal. 39, 6. rum, *Pone me ſicut anulum in manu tua.* &, *In manus tuas commendo ſpiritum meum.* & infinita ſunt his ſimilia in ſacris apicibus, quæ nos cauſa brevitatis omittentes, ad ſexageſimam & primam hæreſem accedamus.

L X I.

Sexageſimam & primam hæreſim Patriciani fecerunt, à Patricio ſumentes exordium. Hi ſubſtantiam carnis humanæ non à Deo, ſed à diabolo conditam dicunt: eamque ſic deteſtantur, ut hunc dicant eſſe perfectum, qui ſe potuerit conſtanter occidere. Ex his ſunt aliquanti, qui etiam rogant eos quos invenerint ignotos, ut ab eis occidantur. Hæc inſania in partibus Numidiæ ſuperioris & Mauritaniæ cœpit olim. Hos miſeri Donatiſtæ poſtea ſecuti, cœperunt ſe montis præcipitio quaſi futuri martyres tradere: ut qui vitam æternam catholicæ fidei derelinquunt, viothanati æternam mortem inveniunt. Contra hos Optatus legitur egiſſe.

L X I I.

Sexageſima ſecunda hæreſis Aſcitarum eſt. Aſcitæ ergo ab utre appellantur. Ἀσκὸς enim Græce uter dicitur. Iſti cum in Trinitate nihil mali habeant, utrem tamen ingentem juxta altare ponunt, eumque vacuum inflant, & linteaminibus velant & adorant, quia confectum cruoris Domini
Matth. 9, 17. ibi adjiciunt, illud dicentes euangelicum, *Vinum novum in utres novos adjiciunt, & utraque conſervantur.*

L X I I I.

Sexageſima tertia hæreſis eſt Paſſalorynchitæ. Omnes, quando ad Eccleſiam ſuam conveniunt, tanto

tanto ſilentio ſtudent, ut & naribus & labiis ſuis digitum adponant, ne vel ipſam taciturnitatem flatibus lædant. Cur autem per palum digitum ſignificare maluerint, à quibus hoc nomen compoſitum eſt, neſcio, cum Græce πάσσαλος palus dicatur, & digitus δάκτυλος, & ῥύγχος naſus. Melius autem mihi videtur, ſi Dactylorynchitæ vocitentur. Invenit ſibi diabolus in lege Dei quos faceret Pythagoras, illud obſervantes Apoſtoli, *Orabo ſpiritu, orabo & mente: pſalmum dicam ſpiritu, pſalmum dicam & mente.* Docent ergo homines foras Eccleſiam, quid dicant in cordibus ſuis intra Eccleſiam poſiti. Quaſi non idem Apoſtolus dixerit, *Corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem.* Vanum dico ego eum laborem arripere, qui dignatur talibus reſpondendo tempus conſumere, juſtumque judico, ut tacentes tacendo vincamus.

1 Corin. 14. 15.

Rom. 10. 10.

L X I V.

Sexageſima quarta hæreſis Aquariorum. qui ex hoc appellati ſunt Aquarii, quod aquam offerunt in poculo Sacramenti. Dicunt enim vinum ebrietatis eſſe rem, per quam homicidia, & fornicationes, & cetera ſcelera perpetantur. cum conſtet omnia excedentia modum crimen facere, & vitium procreare. Non ergo vini hauſtu, ſed nimietate, crimina committuntur. Quid eſt enim, quod nimis ſumptum non culpam incurrat? Bibatur nimis aqua, videamus ſi non lædat. comedatur nimis panis, videamus ſi non crapulam faciat. Optimum ergo in rebus omnibus modum tenentes, etiam hos anathematizamus, cur cruorem Chriſti à fonte ſeparantes, præjudicio fornicatorum & homicidarum, regulam à Chriſto fundatam audacter infringant.

 LXV. Sexa-

L X V.

Sexageſima quinta hæreſis Coluthianorum à quodam Colutho emerſit. Hi dicunt Deum creaſſe mala & bona; ſecundum litteram ſentientes
Eſa. 45. 7. quod dicitur, *Ego Deus creans mala & faciens bona.* Cum Deus hoc per prophetam promiſerit, quod faceret eos ſine gladio hoſtium vivere, & faceret terram dare germen ſuum, abundantiamque omnium frugum, ſi ejus mandata ſervaſſent: ſi vero prævaricatores eſſent, gladium & famem paterentur. & his dictis adjunxerit, *Ego Deus creans mala, & faciens bona.* illi hoc ad ſubſtantiam ab ſpecie transferentes, malorum Deum adſerunt creatorem. Cum creatura nulla ſit mala, poſſunt, ut video, Deum blaſphemare perverſum, quia
Lev. 26. dicit ad populum, *Si ambulaveritis recti, & ego vobiſcum ambulabo rectus: ſi autem ambulaveritis perverſi, & ego incedam vobiſcum perverſus.*

L X V I.

Sexageſima ſexta hæreſis Florianorum, à Floriano. qui dicit malas animas & bonas à Deo creari. Ideo, inquit, qui malitioſi ſunt, mali ſunt & non mutantur, & boni ſimpliciter viventes non in audaciam iniquorum hominum protrahuntur. Quod dictum à Theodoro breviter vincitur ita. Iudas bonus fuit, & factus eſt traditor. Ipſo tempore quo meretrix peſſima lacrymis rigabat pedes ejus, miſericordiam quærens, ſi animam malam habuit mulier, quare in meretricio crimine non eo tempore perduravit? Conſtat ergo animas bonas à Deo conditas. quibus per naturam hoc ineſſe creator indulſit, ut cum ſint bonæ, non ſolum actu ſuo meliorentur, ſed etiam in ipſa poſſint malignitate converti, dum illud diligentia invenit, hoc incurrit negligentia.

L X V I I. Sexa-

Digitized by Google

LXVII.

Sexageſima & ſeptima hæreſis eſt Satanniano-rum, à Satannio. Hi dicunt, poſt reſurrectionem mortuorum, in eodem ſtatu, in quô nunc ſumus, nos eſſe manſuros: neque ita eſſe mutandos, ut ſit cælum novum & terra nova, ſicut ſancta ſcriptura promittit. Contra hos utriuſque Teſtamenti ſcripta luctantur.

LXVIII.

Sexageſima & octava hæreſis eſt Gymnopodarum. Hi nudis pedibus ſemper ambulant, eo quod dixerit Dominus ad Moyſem, *Solve calceamentum de pedibus tuis*. & quod ſanctus Eſaias legitur nudis pedibus ambulaſſe. Ideo hi ſchiſma faciunt, quoniam calceatos condemnant. Exod. 3, 5. Eſa. 20, 3.

LXIX.

In ſexageſimam & nonam hæreſem Donatiſtæ à Donato exorti ſunt. qui propter ordinatum contra ſuam voluntatem Cæcilianum, Eccleſiæ Carthaginienſis Epiſcopum, ſchiſma fecerunt, objicientes ei crimina non probata, & maxime quod à traditoribus divinarum ſcripturarum fuerit ordinatus. At ubi hinc mentiri convicti ſunt, ſchiſma in hæreſim converterunt. Quaſi etiamſi vera fuiſſent crinima in Cæciliano, ſtatum ſuum de toto orbe terrarum Eccleſia amittere potuiſſet propter unius hominis culpam, ſeu veram, ſeu quod magis apparuit judicibus, falſam: & in parte Africana ſolus Donatus potuerit ſtatum Eccleſiæ conſervare, de toto autem orbe terrarum ſit deletus ſanctorum Apoſtolorum labor, & paſſio Martyrum. Immo ipſe Salvatoris noſtri cruor ad conſervandum cœtum catholicæ fidei defecit, quem ſolus Donatus cum aliquantis aſellionibus Byzacenis obtinuit. Et ideo auſi ſunt rebap-

tizare catholicos. In quo opere & præſumptores ſe & damnabiles comprobarunt, cum Eccleſiæ univerſali ſciant placuiſſe, nec in ipſis hæreticis baptiſmatis violare virtutem. Hujus hæreſis principem legimus Donatum. qui de Numidia veniens Carthaginem, & contra Cæcilianum Chriſti dividens plebem, adjungens ſibi ejuſdem factionis Epiſcopos, Majorinum nomine in ſua parte apud Carthaginem ordinavit Epiſcopum. Cui Majorino Donatus alius in eadem diviſione ſucceſſit. qui eloquentia ſua ſic confirmavit hanc hæreſim, ut multi exiſtiment de ipſo potius Donatiſtas initium hæreſeos adſumpſiſſe. Extant hodie ſcripta ejus, ubi probatur in Trinitate contra fidem catholicam ſuſcepiſſe. Et quamvis unius ſubſtantiæ dicat in Trinitate Deum Patrem, tamen majorem Filio, Filium majorem Spiritu ſancto confirmare tentavit. Sed in hunc errorem ideo nullus de populo ejus adtendit, quia alia erat intentio inter partes. Hi hæretici in partibus Italiæ Monteſes appellantur, in interiore Africa Parmeniani, in Carthaginienſi Donatiſtæ. In utriuſque Numidiæ partibus habent veluti Monachos, quos Circumcelliones vocamus, agreſtes & audaciſſimos dæmonum famulos: qui non ſolum in alios acriter ſæviunt, verum etiam ſibi ipſis miſeri omnino non parcunt. Nam per mortes varias, maximeque præcipitiorum, & aquarum, & ignium, ſeſe interficere conſuerunt. & ad hunc exitum ex utroque ſexu quantos potuerint ſeducunt. Aliquando etiam quos invenerint rogant, ut ab eis occidantur, mortem niſi fecerint comminantes. Quod verum eſt, multis Donatiſtarum diſplicent tales: ſed hoc verbo, non opere. Nam ſi vere diſplicerent, utique talibus

non

Digitized by Google

non communicarent, qui per totum orbem Eccleſiis unius Cæciliani crimen impingunt. Nam & inter ſe frequenter habuere diſcidia. Denique apud Carthaginem, temporibus Heracliani Comitis, cum Maximianus contra Primianum, ab ejuſdem erroris centum ferme Epiſcopis ordinatus, à reliquis trecentis decem Epiſcopis, qui ordinationi ejus crimina impingebant, fuiſſet damnatus, docuit populum qui eum ſequebatur, etiam extra Eccleſiam dari poſſe baptiſmum Chriſti. Denique aut à Primiano ad Maximianum abiit, aut à Maximiano ad Primianum, non eſt iterum baptizatus ab eo qui contra voluntatem eorum ordinatus eſt. comprobantur ab eo quem utique damnaverunt. non abjiciunt, non renuunt, non mutant baptiſmatis Sacramentum; & ſeu à Primiano, ſive à Maximiano quis aut baptizetur, aut clericus ordinetur, quaſi ab uno factum ſit, non à duobus contrariis, in ea dignitate, qua ab uno venerit quis ad alterum, perſeverat. non mutatur baptiſma, nec dignitas tollitur. quia non de baptiſmatis altercatione, ſed de ordinationis contentione facta diviſio comprobatur. De Cæciliani enim ordinatione diſſentire cœperunt, non de baptiſmatis aut fidei tranſgreſſione ſeſe ab Eccleſia abſciderunt.

LXX.

Septuageſimam hæreſim Priſcillianorum apud Hiſpanos Priſcillianus legitur inchoaſſe. Hi animas divinæ naturæ adfirmant. Quas ad agonem quendam ſpontaneum in terris exercendum, per ſeptem cælos, & per quoſdam gradatim dicunt deſcendere principatus, & in malignum principem incurrere, à quo iſtum mundum factum volunt, atque ab hoc principe per diverſa carnis

corpora ſeminari. Adſerunt etiam fatalibus ſtellis homines conligatos, ipſumque corpus noſtrum ſecundum duodecim ſigna cæli eſſe compoſitum. Prorſus ſicut ii qui Mathematici vulgo appellantur, conſtituunt in capite arietem, taurum in cervice, geminos in humeris, cancrum in pectore, & cetera nominatim ſigna percurrentes ad plantas, à ſigno Chriſti ad ſigna aſtrologi migraverunt. Hæc & alia fabuloſa & vana multa confingunt. Vxores à viris quas potuerint ſeparant. Carnes ſicut Manichæi fugiunt. Apocryphas ſimul cum canonicis ſcripturis accipiunt, & in ſenſus ſuos allegorizando convertunt. Trinitatem autem, ſicut Sabelliani, ipſum ſibi Patrem, ipſum ſibi Filium, ipſum ſibi ſanctum Spiritum confitentur.

LXXI.

Septuageſimam & primam hæreſim Adeloſagi inchoarunt, dicentes non debere ita cibum ſumere Chriſtianum, ut ab alio videatur dum comedit. Et hæc ſola cauſa eos ab Eccleſia ſeparare dinoſcitur. Trinitatem enim ejuſdem ſubſtantiæ confitentur. Egerunt cum eis Epiſcopi de Epheſo.

LXXII.

Septuageſimam & ſecundam hæreſim Rhetorianorum, à Rhetorio inchoatam Philaſtro ſcribente invenimus. Hi ad tantam vanitatem devoluti ſunt, ut dicant omnes hæreticos recte apud Deum incedere. quia hoc in eorum mentibus datum eſt. ſic colunt Deum ſicut poſſunt. Error eorum nobis videtur reprehenſibilis: apud Deum autem, nec error eſt, nec vituperatio. Hi hoc docentur à ſuis doctoribus, ut præter templa & ſynagogas, ubicumque invocatur Chriſtus natus ex

Digitized by Google

ex Virgine, introeant, & participes ſe faciant hæreticorum.

LXXIII.

Septuageſima & tertia hæreſis eſt Theoponitarum. Hi dicunt in Chriſto, dum pateretur, divinitatem ſic doluiſſe, ſicut poteſt dolere anima dum corpus ſuppliciis agitur. De quibus ait Gregorius Epiſcopus: Infelices & miſeri non vident, in arboribus, quando ferro cæduntur, Solem quidem eſſe in arboribus. numquid non dolet Solis ſplendor, quem, utique, antequam ad lignum perveniat, priorem ictus ferri contingit? Deus ergo lux eſt, & quomodo cædi poteſt lux? Nam quod anima ſit quæ doleat in corpore, hinc advertimus, quod recedente anima de corpore, nulla poteſt corpus ſentire, nec adverſa, nec proſpera. In corpore ergo Domini noſtri Ieſu Chriſti, anima humanitatis ſenſit, quam cum corpore adſumpſit, non ipſe qui adſumpſit, ſicut nec Sol, qui in arbore quam memoramus inluxit. etiamſi Solis lux in arbore poſſit à verberante concidi; in Chriſto divinitas non poſſit à cruciante contingi: quia Solis lux creatura eſt, hic autem creator agnoſcitur & probatur. Nam quod anima humanitatis ſenſerit paſſionem, ipſe Dominus ait ad diſcipulos ſuos, dicens, *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Et hinc dixiſſe ſufficiat. accedamus ad reliquos. Matth. 26. 38.

LXXIV.

Septuageſimam & quartam hæreſim Triſcilidæ incurrerunt. qui triformem Deum ita adſerunt, ut quædam pars ejus ſit Pater, quædam Filius, quædam Spiritus ſanctus, & hinc ſit Trinitas in unitate. De quibus ait Gregorius: Infelices & miſeri non vident quia totam ipſam Trinitatem

blaſphemant. Non eſt enim Deus, niſi qui in ſeipſo perfectus eſt. Perfectus ergo Pater perfectum ex ſe genuit Filium, perfectus ex Patre procedit Spiritus ſanctus. Ecce tria perfecta non faciunt tres Deos ſed unum, quia una eſt deitas. Non enim ſicut ſunt tres perſonæ, ſic tres deitates. ſed ſunt tres, Pater & Filius & Spiritus ſanctus, ſed una deitas, una majeſtas, una virtus, una voluntas, & una ſubſtantia confitenda.

LXXV.

Septuageſimam & quintam hæreſem Hydrotheitæ fecerunt, aquam Deum dicentes, non habentem nec initium nec finem, ſordes luentem, peccata dimittentem, & habentem Spiritum ſanctum. Quos juſte damnat fides catholica quaſi cæcos, & non videntes aquam quibus ſpurcitiis ſervit, & poteſt Deus ſervire? quibus etiam ſqualoribus. aut cujus momenti eſt aqua ſine conſecratione. Illam ſermo vivus vivificat, ſermo ſanctus ſanctificat, ut ſanctus Spiritus in ea dignetur habitare, aut ut poſſit credentibus peccata mundare. Et ſic, quomodo accipit vim hujus rei per benedictionem ut poſſit omnia mundare peccata, non poteſt mundare peccata ejus, qui fidem ſuam non ex integro prius Deo crediderit offerendam. Non ergo per ſolum abluentem, ſed magis per credentem, Spiritus ſanctus infunditur in homines, & peccatorum venia condonatur.

LXXVI.

Septuageſimam & ſextam hæreſim fecerunt Homuncionitæ, qui dicunt in corpore hominis eſſe imaginem Dei, non in anima. Vnde Gregorius, cum imago Dei in rebus magnis & primis quæ ſunt in homine debeat quæri, in memoria,

in

in intellectu, in ſcientia, & in illis locis, unde homo ad pietatem movetur, hæc ſtatuta in anima ſunt, non in corporis lineamentis inſtructa, & tanto plus ſimilis Deo eſt, quanto plus hæc quæ memoravimus purius potuerit obtinere.

LXXVII.

Septuageſimam & ſeptimam hæreſim Ametritæ inſtituerunt, dicentes innumerabiles eſſe mundos. Hoc eos dicere novum putat qui non legit Philoſophos. hoc enim olim aliquanti Philoſophorum dixere Gentiles. Nos autem Moyſem à Deo miſſum ſuſcipimus. & de mundo quid ſentiamus, & quid credamus ab ipſo didicimus.

LXXVIII.

Septuageſimam & octavam hæreſim Pſychopneumones occuparunt, dicentes animas hominum bonas in ſpiritus Angelorum converti: animas vero hominum malas in ſpiritus dæmonum mutari.

LXXIX.

Septuageſimam & nonam hæreſem Adecerditæ tenent, dicentes, Chriſto deſcendenti ad inferos omnis animarum multitudo occurrit, & credidit ei, & liberata eſt.

LXXX.

Octogeſima hæreſis dicit, Filium Dei poſtea genitum, poſteaquam voluit Pater: ſi noluiſſet Pater, non genuiſſet. eſto, confiteamur æqualem Filium Patri: ut æqualis ſit, non eſt res naturæ, ſed gratiæ. Pater hoc voluit, ac per hoc totum Patris eſt, non Filii. Nos è contrario dicimus, Sicut fons ex eo genuit flumen ex quo eſt, ita pater ex eo genuit Filium ex quo eſt. & ſicut fons non volendo & nolendo genuit fluvium, ſed gignendo, ita Pater non diſputando, aut volendo,

Digitized by Google

aut nolendo, ſed ſicut natura fontis hoc extat, ut de plenitudine ſua emanet, ita Pater de plenitudine ſua effundens Filium genuit. Et ſicut fluvius circuit totum mundum, & mare ingreditur, & tamen de ſinu fontis non recedit: ita & Filius de ſinu Patris nunquam diſceſſit, nec tunc quando ſe humiliavit factus obediens uſque ad mortem. Sic ergo inter nos per àdſumptionem apparuit, ſed per majeſtatem ſuam de ſinu Patris nunquam diſceſſit. Vt enim hoc ita fieret, nec poſſibilitas Deo defuit, nec voluntas. Vnum horum ſi Deo defuit, Deus non poteſt nuncupari. Qui enim bonum non vult, malus eſt: qui non poteſt quod vult facere, omnipotens non eſt. Hanc blaſphemiam damnantes in hæretico quem diximus, ad ceteros accedamus.

LXXXI.

Octogeſimam & primam non hæreſim accuſamus Luciferum, ſed ſchiſma arguimus. Catholicos quidem per omnia, ſed Luciferianos faciendo populos, & dividendo ſe ab Eccleſia, à fide ſua caritas excluſit. dicente Apoſtolo, *Si*
1 Corin. 13, 2. *fidem habeam ita ut montes transferam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Gloriantur quidem à fide non deviaſſe: ſed non parvum crimen arguimus eos incurrere, qui cum Dei Eccleſia noluerint habere caritatem.

LXXXII.

Iovinianiſtæ à Ioviniano quodam octogeſimam & ſecundam hæreſem arripuiſſe detecti ſunt. Qui ſicut Stoici philoſophi putant, paria dicunt eſſe univerſa peccata: nec poſſe peccare hominem lavacro regenerationis accepto. nec aliquid prodeſſe jejunia, vel à cibis aliquibus abſtinentiam. Virginitatem ſanctæ Mariæ deſtruunt, dicentes eam pariendo fuiſſe violatam. Virginitati etiam ſan-

ſanctimonialium, continentium caſtitati, & viris eligentibus cælibem vitam, conjugium caſtorum atque fidelium meritis adæquant. ita ut quædam virgines ſacræ provectæ jam ætatis, in urbe Romana ubi hæc docebat, eo audito nupſiſſe dicantur. Non ſane ipſe Iovinianus vel habebat vel habere volebat uxorem. quod factum non futuræ vitæ profuturum dicebat, ſed præſenti commodo adplicabat. Contra hunc ſuſcepit ſanctus Ambroſius Mediolanenſis Epiſcopus, quique edidit librum ad deſtruenda omnia commenta adinventionum ejus. Quo lecto in media Romana, id eſt Eccleſia Lateranenſi, una voce & populus Romanus, & ſacerdotes, in eiſdem Iovinianiſtis, & ipſo Ioviniano, anathema clamaverunt, in ipſo initio Quadrageſimæ, ſancto Anaſtaſio Epiſcopo Antiſtite. Denique in ipſa authentica hebdomada Paſchæ, inventi ſunt epulantes, & porcorum carnibus trahentes convivia. ita ut aſſum porcum, quem in menſa eorum invenerant, populi collo ejus ſuſpenderent, & ita eum totam civitatem facerent circuire. Scripſit etiam contra hos Hieronymus preſbyter certos libros, quos qui plenius legerit, & quanta bona virginitas, & continentia, & abſtinentia habeat diſcit, & quanta mala edacitas & luxuria habeat perhorreſcit.

LXXXIII.

Octogeſimam & tertiam hæreſim in ſexto libro hiſtoriographus noſter ponit Euſebius, quam nec Epiphanius alicubi memoravit, nec Polycrates, nec Africanus, nec Heſiodus, qui Græco ſermone univerſas hæreſes deſcribentes volumina multorum condidere librorum. In ſexto itaque, ut dixi, libro narrat Euſebius, eſſe in Arabia hæreticos, quorum quia auctorem non memorat,

nos

nos poſſumus eos nuncupare Arabicos. Hi, inquit, dicunt animas cum corporibus mori atque diſſolvi, & in fine ſæculi utrumque reparari. Sed hos diſputatione Origenis magna memorat ex parte revocatos.

LXXXIV.

Octogeſimam & quartam hæreſem Helvidianos occupaſſe ab Helvidio memoramus. Qui ita virginitati ſanctæ Mariæ contradicunt, ut eam dicant de Ioſeph poſt nativitatem Chriſti alios filios peperiſſe. Iſti quidem nuper, id eſt ſub Siricio Romanorum antiſtite orti ſunt, & per Italiam atque Gallias direxerunt ſuos diſcipulos. Contra hos ſcripſit Hieronymus doctor egregius duos libros, quos lectos in tempore digna eos execratione anathematizabant. Epiphanius autem noſter, ſcrutator hæreticorum, ſcribens contra hos libellum, qui in illo tempore hanc blaſphemiis plenam adſertionem proferebant, Antidicomaritas eos cenſuit appellari.

LXXXV.

Octogeſimam & quintam hæreſem Paterniani inchoaſſe leguntur. Hi inferiores humani corporis partes non à Deo, ſed à diabolo factas opinantur: & omnium ex illis partibus flagitiorum licentiam tribuentes impuriſſime vivunt. Hos dum Damaſus damnaret Epiſcopus detectos in ſcelere, hujuſmodi de his in relatione ſua ad Valentianum majorem ſcripſit, dicens: Scire volumus pietatem veſtram, Venuſtianos in ſcelere turpiſſimo detectos ab Apoſtolica ſede eſſe damnatos. Quorum etiam confeſſiones ſimul direxit. Contra hos poſtea lex ſpecialis egreſſa eſt, ut ubicumque eſſent reperti, vindice gladio agerentur.

LXXXVI. Ter-

LXXXVI.

Tertullianiſtas olim à Sotere Papa Romano damnatos legimus. Cur autem octogeſimam & ſextam eos hæreſem dicamus arripuiſſe hæc cauſa eſt, quod quædam Octaviana veniens ex Africa, cujus vir, Heſperius nomine, videbatur Duci Arbogaſti valde conjunctus, qui etiam apud Maximum tyrannum multum potuit, hæc Octaviana adduxit ſecum quendam tergiverſatorem, verſutumque dæmonem, cui vix centum occurrerent verboſanti atque in hominem confidenti. Hic cum ſe preſ byterum diceret Tertullianiſtam, meruit per ſacrum ſcriptum, ut ſibi collegium extra muros Vrbis fabricaret. Quod dum impetraſſet à Tyranno Maximo, Sanctorum noſtrorum excluſit locum, id eſt duorum fratrum Proceſſi & Martiniani, dicens eos Phryges fuiſſe, & ideo hanc legem tenuiſſe, quam Tertullianus. atque hoc ordine per occaſionem martyrum Dei populum ſeducebat. Deo autem Theodoſio religioſo Auguſto dante victoriam, punitoque ſatellite Maximi, de cujus ſe Tertullianiſta poteſtate jactabat, ſtatim fugit cum matrona quæ venerat, nec viventis nec mortui rumore renovato. Martyrum ſuorum Deus excubias catholicæ feſtivitati reſtituit. Tertullianus autem fuit civis & preſbyter Carthaginienſis. opuſcula eloquentiſſima & ferventia in defenſione edidit veritatis. Hic apud Carthaginem baſilicam habuit, ubi populi ad eum conveniebant. Quæ baſilica uſque ad Aurelium Epiſcopum fuit. Agente enim Auguſtino Hipponienſi Epiſcopo, rationabiliter cum eis diſputante, converſi ſunt, Eccleſiamque ſuam ſanctæ Eccleſiæ contulerunt. Tertullianum autem Catholica hinc reprehendit auctoritas, quod animam

mam ex anima naſci dicit, & defendit Montanum, & Priſcam, & Maximillam, contra fidem catholicam, & contra Apollonium Epiſcopum Orientis, & contra Soterem Papam urbis Romæ, ut ſupra diximus, dum Cataphryges hæreticos detegeremus. à quibus poſtea diviſus, ne plebs Montani nomen Tertulliani videretur excludere, fudit à ſe omnem Phrygiæ vanitatem, & Tertullianiſtarum conventicula propagavit. nihil tamen in fide mutavit. Nam & ſecundas nuptias condemnat, ut diximus, animam ex traduce venire adſerit, & nos catholicos Pſychicos titulat. Vbicumque autem legeris Tetulliani adverſum Pſychicos, ſcias eum contra Catholicos agere.

LXXXVII.

In octogeſima & ſeptima hæreſi Abeloitas nominamus. qui cum ſint priores pene omnibus hæreticis, nunc noſtris temporibus finiti. Iſti ex filio Adæ ſibi nominis derivationem adſumpſerant, id eſt ab Abel Abeloitas ſe nominari voluerunt. Hi non miſcebantur uxoribus, & tamen non licebat ſectæ ipſi ut ſine uxoribus viverent. Mas ergo & femina, ſub continentiæ profeſſione ſimul habitantes, puerum & puellam ſibi adoptabant, in ejuſdem conjunctionis pacto ſucceſſores futuros. Morte præventis quibuſque ſingulis alii ſubrogabantur, dum tamen duo duobus diſparis ſexus in illius domus ſocietate ſuccederent. Vtrolibet quippe parente defuncto, uni remanenti uſque ad ejus quoque obitum filii ſerviebant. poſt cujus mortem, etiam ipſi puerum & puellam ſimiliter adoptabant. Nec unquam eis defuit unde adoptarent, generantibus circumquaque vicinis, & filios ſuos inopes ad ſpem hereditatis alienæ libenter dantibus. Hæc ſola erat inter nos atque illos di-

Digitized by Google

diſtantia. in quo noſtros arguebant, ita non in lege noſtra exerceri conjugia, ut & qui nubunt tanquam non nubentes ſint.

LXXXVIII.

Octogeſimam & octavam hæreſim in Pelagio ſe inveniſſe ſedes Apoſtolica ſub Papa ſancto Innocentio docuit, dum Cæleſtius Pelagii diſcipulus apud Carthaginem doceret, poſſe homines ſine peccato eſſe, natura ſibi ſufficiente ſola humana. Reſtitit ei quidam Paulinus Diaconus, defenſor & procurator Eccleſiæ Mediolanenſis. cuique in conventu ſacerdotum multa capitula objecit contra fidem catholicam, quæ Cæleſtius damnare neglexit, dicens, Non ad me pertinet de his quæ objecit, ubi meum nomen eſt, & crimen alienum. Tunc illi obtulerunt ei libros ſuos, ubi dicebat, ipſam ſibi hominis naturam ad perfectionem poſſe ſufficere. hoc eſt, tantam poteſt homo exercere juſtitiam, ut etiam ſine peccato poſſit eſſe ſi velit. Adam mortalem factum, qui ſive peccaret, ſive non peccaret, eſſet moriturus. Sic lex miſit ad regnum, ſicut euangelia. Infantes in remiſſionem peccatorum baptizandos eſſe ideo confitemur, propter regulam univerſalis Eccleſiæ. Nihil obfuiſſe generi humano peccatum Adæ. Omnia hæc oppoſitionum genera ad damnandum objiciebantur Cæleſtio. Sed ille dicebat, multa eſſe in his quæ teneret fides ejus, & propter ipſa cætera damnare non poſſe. Tunc ad relationem pene omnium Afrorum Epiſcoporum, Papa Innocentius damnationem & Pelagio & Cæleſtio conſcripſit. Illi autem, ſive antequam damnarentur ab univerſali Eccleſia, ſive poſtea quam damnati ſunt, non ceſſaverunt ſcribere poſſe hominem ſine peccato eſſe, & nihil obfuiſſe Adam generi

Digitized by Google

humano, & legem ſic miſiſſe ad regnum ſicut Euangelia, & infantes non ideo baptizandos, quia habere poſſint originale peccatum, & naturam tam bene factam à Deo, ut ſibi ſola ſufficiat ad hoc ut poſſit carere peccato. Contra hos ſuſcepit ſine ſcriptura quidam Conſtantius tractator. Poſt hunc autem, ſcripſit contra hos & Auguſtinus Hipponienſis Epiſcopus, & Hieronymus preſbyter Bethleites. Pelagiani tamen, ſeu Cæleſtiani, catholicæ plebi permixti ſunt, quia Eccleſiam aliam non habent: & ideo ubi eis evenerit, communionem non renuunt. Dicunt enim unius confeſſionis eſſe in hac parte, in qua Euchariſtia conficitur. de quæſtione enim ajunt, non de communione diſcernimus. Pro hoc auſu, & à noſtris, ſi deprehendantur, periculis ſubjacent, & à ſuis execrationi habentur. Habent enim & preſbyteros, & Epiſcopos ſuos. Ipſe autem Pelagius ita in commentario ſuo ad Romanos ſcribit, dum ageret illum locum quo ait Apoſtolus, *Quoniam per unum hominem in hunc mundum peccatum intravit, & per peccatum mors. & ita in omnes homines pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* tangens Cæleſtium, qui contra traducem peccati primus ſcripſit, his verbis ait, Hi, inquit, qui contra traducem veniunt, ita illam impugnare nituntur: Si Adæ peccatum etiam non peccantibus obfuit, ergo & Chriſti gratia etiam non credentibus prodeſt. Addunt etiam hoc: Si baptiſmus tollit originale illud peccatum, de duobus baptizatis nati debent hoc carere peccato. quomodo enim mittunt ad poſteros quod ipſi in ſe minime habuerunt? Hæc ſicut ab ipſo Pelagio ſunt ſcripta poſuimus. De hoc itaque quod dictum eſt, poſſe hominem ſine peccato eſſe, obiectum eſt illis ita. Aut poteſt, & adju-

Digitized by Google

adjutorium non quærit: aut non poteſt, & adjutorium quærit. A quocumque enim auxilium quæritur, dicit ſe id quod vult facere implere non poſſe: alioquin inriſorie poſcit qui poteſt hoc ſolus, pro quo adjutorium poſtulat, adimplere. Verbi gratia, decem pondo cujuſcumque rei ſi levare voluerim, & adjutorium quæram, ridiculum videor exhibere dum poſco. At vero ſi ducentas aut amplius velim levare libras, quia id implere non poſſum, auxilium flagito, & immenſis precibus adjutorium quæro. præcipue ſi ſtatus vitæ meæ in hoc videtur pondere poſitus, ut ſi pondus quod memoravi non levavero, ad vitam pervenire non poſſim. De duobus autem baptizatis natum nihil habere de fide parentum, hæc nos ratio docet. Quoniam hi qui baptizati ſunt duas habent nativitates, unam qua eos generavit caro, aliam qua eos generavit Spiritus ſanctus. & ex his duabus generationibus nati, duas generationes ad poſteros mittunt: unam de carne, conjugii miniſterio, aliam de ſpiritu, baptiſmate conſecrando. Hic ergo qui de baptizatis natus eſt, interrogo de qua re natus eſt: de carne, id eſt de prima generatione, an de ſpiritu, id eſt de ſecunda generatione. Si de ſpiritu natus eſt, baptizari non debet. quare? quia Spiritus ſanctus eum fecit naſci, non libido conjugii. Sin autem de conjugio carnali, id eſt de maſculo & femina, reſtat ut unde ſunt regenerati de Chriſto & Eccleſia, ſuam iterum regenerent prolem. De primo enim eſt Adam quod naſcimur: de ſecundo autem quod iterum recreamur, dicente ſancto Apoſtolo, *Factus eſt primus homo* 1 Cor in.
Adam in animam viventem: noviſſimus Adam in ſpiritum vivificantem. Sed non prius quod ſpiritale eſt, ſed quod animale, deinde quod ſpiritale. Primus homo de 15, 45.

terra terrenus, ſecundus homo de cælo cæleſtis. Ergo ſicut portavimus imaginem terreni, id eſt ſicut creavimus filios carnaliter, *portemus & imaginem cæleſtis.* id eſt quos creavimus carnaliter, ſpiritaliter recreemus: aut ipſi qui carnaliter creati ſumus nutu creatoris, iterum ejus gratia ſpiritaliter recreemur.

Ibid. 50. *Hoc autem dico*, dixit Apoſtolus, *quia caro & ſanguis*, id eſt prima tantum generatione homines nati, niſi gratiam divinam meruerint adipiſci, *regnum Dei invenire non poſſunt. Neque corruptio incorruptionem poſſidebit.*

LXXXIX.

Octogeſimam & nonam hæreſim Neſtorius Conſtantinopolites Epiſcopus legitur incurriſſe. Conſuetudo eſt namque, ut unum tractatum ſuum Epiſcopus Alexandrinus mittat ad Conſtantinopolim, qui recitetur in Paſcha, & tractatum ſuum Conſtantinopolites, qui Alexandriæ recitetur. In tractatu ſuo Conſtantinopolites Neſtorius ſcripſit Mariam non eſſe Theotocon, ſed Chriſtotocon. id eſt non Deum peperiſſe, ſed hominem. Cyrillus Alexandrinus hoc dictum ita reprehendit, quo diceret per epiſtolam, ut ſi eum forte fefelliſſet, emendaret dictum. Ex hoc ipſo quo reprehenſus eſt Neſtorius à Cyrillo, cœpit Cyrillum hæreticum inclamare. Data eſt Synodus apud Epheſum, & nec ſic emendare voluit Neſtorius, ut diceret Mariam Deum & hominem genuiſſe, ſed ſolum inquit hominem. Si enim dixerimus quia Deum genuit, fecimus matrem Deûm, ſicut Gentiles. Maria ergo, inquit, templum Deo genuit, non ipſum qui in templo habitat. Accepit inducias, ut aut damnaret dictum, & rediret ad ſedem ſuam Epiſcopus: aut ſi damnare noluiſſet, poſtea redire non poſſet.

No-

Digitized by Google

Noluit, & in eadem confeſſione permanſit. Hunc Synodus apud Epheſum damnavit. in qua damnatione Romanus Papa Cæleſtinus ſcripſit, & omnes cum eo pariter Orientales atque Occidentales Epiſcopi ſubſcripſerunt.

X C.

Nonageſima hæreſis, quam in præfatione noſtra diximus de nomine Auguſtini Epiſcopi eſſe mentitam, Prædeſtinatorum nomen accepit. Hi electionem bonorum, & recuſationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel ſtudente, vel negligente. Nolunt Dei jura, vel ab ſtudentibus cuſtodiri, vel à neglegentibus violari. Dicunt, etiamſi voluerit bonum facere qui ad malum prædeſtinatus eſt, ad bonum pervenire non poterit. nam qui ad bonum prædeſtinatus eſt, etiamſi neglegat, ad bonum perducetur invitus. Dicunt baptiſmatis undam non univerſa peccata mundare. Dicunt, ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo quam petat, ante inveniat quam quærat, ante ei aperiatur quam pulſet. Dicunt nullum ad Chriſti fidem accedere, niſi fuerit à Patre tractus invitus: illud adtendentes, *Nemo venit ad me, niſi quem pater adtraxerit.* Dicunt omnia non in re, ſed ita in ſpe fieri, ut quod dicit Apoſtolus, *Spes quæ videtur non eſt ſpes*, etiam hoc myſteriis adplicent dictum, & dicant, Ea quæ percipiuntur, videntur quidem eſſe, ſed non ſunt. Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quam Chriſtus in ſubveniendo. Nam Adam ajunt quod nocuit ita manet, ut hoc nec paſſio Chriſti, nec baptiſmatis ſanctificatio poſſit auferre.

Ioan. 6, 44.

Rom. 8, 24.

VERVM quid moras tibi, ô lector ſancte & ſtudioſe, incutimus? Librum eorum tibi inte-

grum, ſicut eſt editus, in iſto corpore præſentamus. cujus lectione cognoſces, definitiones ejus à metatoribus Antichriſti adinventas. Quotienſcumque autem contra eos ſuſcepimus, dixerunt nos ex hæreticorum argutiis contra ſe agere. Videntes enim ſe ita ſuperari, ut ſuſpirare non poſſent, hanc calumniam ſemper catholicis niſibus inrogarunt, ut dum timent ſe hæreticos infamari, in ſilentio veritatis loquelam artarent. Eorum ergo ob cauſam omnes hæreſes à Simone memorantes hucuſque deteximus, ut probemus nos ſoli fidei catholicæ eſſe concordes. Rogamus te, domine Pater cæli & terræ, qui cum Filio tuo, & Spiritu ſancto, unius veritatis obtines majeſtatem, unius majeſtatis obtines deitatem, unius deitatis obtines Trinitatem, ut nos adjuves contra hoſtes tuos tela tractantes. Habeant illi caſtra Goliæ in Allophylorum acie conſtituta. Nos Hebræi, pueri tui, David paſtoforium adſumentes, de lapide tuo angulari pugnemus. ut fidenter
1 Corin. 15, 57. cum Apoſtolo tuo dicere valeamus, *Deo noſtro gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Sit pax omnibus Catholicis, & cum Angelis una nobiſcum voce exclament, decantantes, Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

Explicit liber Categoricus, ſive ecdicus, ſive Accuſator Hæreticorum; & Catholicorum defenſor.

LIBER

LIBER SECVNDVS,

Sub nomine Auguſtini Confictus,

Nonageſimam hæreſim continens, quæ adſerit Dei prædeſtinatione peccata committi.

PArticipem me intentionis veſtræ, qui defenditis veritatem, fieri, fratrum ſpiritalium ſuggeſtio invitavit. Vnde breviter niſibus veſtris me interferens, ſermonis latitudinem fugi, ſenſuſque qui latum quærunt certaminis campum in anguſtum conſtitui. ut faſtidium vobis lectionis auferrem, & occaſionem defendendæ veritatis adferrem. atque dimicantes ſervos contra voluntatem ſui domini confutarem. eorum ſcilicet, qui dicunt, Deo invito & nolente hominum moveri arbitria, ac de poteſtate mortalium Dei immortalis poteſtatem infringi. Huc adjiciunt, homines per voluntatem ſuam ſanctos fieri, & ſuo arbitratu ad Dei amicitias pervenire. Levi hos impulſione videbitis corruentes, à quibus ſollicitudo humana & meliores & primas accepit partes, quibus excluſo Deo dicitur homo non ordinatione Dei, ſed ſua ſe poſſe voluntate ſalvare. Vos autem, ô filii caritatis, zelum fidei ſignatum in veſtris ſen-
ſibus retinentes, * eſtote ſecuri de ordinatione 1.
Dei, quam prædeſtinando conſtituit. certaque ſit
noſtris ſenſibus Apoſtolico ore dicta ſententia,
Quoniam cui vult Deus miſeretur, & quem vult indu- Rom. 9,
rat. Non eſt enim volentis, neque currentis, ſed miſe- 16.

rentis eſt Dei. quia *habet poteſtatem figulus luti ex eadem maſſa facere unum vas ad honorem, aliud ad contumeliam.* & inde eſt quod caro adverſatur ſpiritui,
Galat. 5, 17. ſpiritus carni. *Hæc*, inquit Apoſtolus, *invicem adverſantur, ut non quæ vultis illa faciatis.* In opere enim ſuo Deus omnes homines ante prævidit, & quid unicuique competeret prævidendo conſtituit. Hoc majeſtatis ejus ſingulare indicium, in quo parem non habet. Deus ſolus eſt enim, qui cogitanda, loquenda, operanda præſciit, & quia præſciit cunctorum generaliter geſta antequam fierent, merita diſponendo quaſi facta conſpexit. Et idcirco res, quaſi oculatas & ſibi in manifeſto poſitas, tunc quando præſciit prædeſtinavit, & conſtituit, qui conformes fierent imaginis filii ejus, ut eſſet & Filius Dei primogenitus in multis fratribus. quos autem prædeſtinavit hos vocavit, quos vocavit hos juſtificavit, & quos juſtificavit ipſos & magnificavit. Vnde & propheta
Hier. 10, 23. dicit, *Non eſt in homine via ejus.* Quid putatis vos, ô fragiles, ô caduci, miſeri & mortales homines, ſi quid bene agitis eſſe laudandos, aut forte delinquentes prorſus eſſe damnandos? cum ideo lex loquatur, ut timorem incutiat. ceterum nihil fit niſi quod voluerit Deus. Quem voluerit Deus ſanctum eſſe, ſanctus eſt, aliud non erit: quem præſcierit eſſe iniquum, iniquus erit, aliud non erit. Prædeſtinatio enim Dei jam & numerum juſtorum, & numerum conſtituit peccatorum, & neceſſe erit conſtitutum terminum prætetiri non poſſe. Hoc autem non quaſi perſonarum acceptor conſtituit, ſed quaſi præſcius omnium futurorum. Non enim per acceptionem perſonæ, ſed per præſcientiam Deus prædeſtinationem ſuam fixit atque conſtituit. Iam quos

præ-

præſciit nullomodo converti, hos prædeſtinavit ad mortem: quos præſciit omni modo converti, hos prædeſtinavit ad vitam. Miror autem quod teſtimonia veteris teſtamenti contra auctoritatem novi proferantur. Solent enim ſancti Ezechielis prophetæ teſtimonia uſurpare, dicentis, *Hæc dicit* Ezech.
Dominus, Cum dixero impio morte morieris, & conver- 18.
ſus fuerit ab impietate ſua, vivo ego dicit Dominus vita vivet. Hoc, ut dixi, in veteri lege ſcriptum eſt pro tempore captivitatis, pro cauſa qua ipſa captivitas facta eſt, pro perſona populi cui inrogata eſt, ut diſceret in captivitate poſitus pro peccatis ſuis ſe jugo Aſſyrii regis eſſe ſubjectum. Certe pro peccato capivitas facta eſt: & ut quid ſimul captivitatem juſti cum peccatoribus incurrerunt, niſi quia myſteria Dei à noſtra fragilitate penitus ſciri non poſſunt? Hoc ergo myſterium in veteri lege ſcriptum eſt. In novo autem Apoſtolus clamat,
Vaſa iræ apta in interitum. & ideo ſcriptum memo- Rom. 9,
rat, Deum dixiſſe per præſcientiam ſuam, * *Iacob* 22.
dilexi, Eſau autem odio habui. Cum enim nondum 2.
nati fuiſſent, nec aliquid egiſſent boni vel mali, Rom. 9, 13.
ex præſcientia dictum eſt, quod unus haberetur odio, alius amaretur. Hæc à nobis adinventa non
ſunt: * nec dicimus aliquid præterquam euange- 3.
lizavit Apoſtolus. Per præſcientiam Dei prædeſtinationem ipſe factam commemorat. De Deo
ipſe dicit, *quos vocavit, hos prædeſtinavit.* Si præ- Rom. 8,
ſcientem, & prædeſtinantem, & vocantem, in 30.
Apoſtolo legitis, nobis ut quid impingitis crimen
ob hoc quod dicimus * prædeſtinaſſe Deum ho- 4.
mines, ſive ad juſtitiam, ſive ad peccatum, ne videretur ipſe ſibi quaſi non provide facere homines, qui facerent quod nolebat? Invictus enim in ſua voluntate permanet Deus, cum homo ad-

 ſidue

ſidue ſuperetur. Si ergo invictum confitemini Deum, confitemini & hoc, quia quod eos voluit ille qui condidit, aliud eſſe non poſſunt. Vnde
5. colligimus apud animum, * quos Deus ſemel prædeſtinavit ad vitam, etiamſi neglegant, etiamſi peccent, etiamſi nolint, ad vitam perducentur inviti: quos autem prædeſtinavit ad mortem, etiamſi currant, etiamſi feſtinent, ſine cauſa laborant. Nec hoc ſine magiſterio admittas eviden-
6. tis exempli. * Iudas quotidie verbum vitæ audivit, quotidie adhæſit Domino, quotidie virtutibus occupatus, quotidie ipſum Dei Filium monitorem audivit: & quia prædeſtinatus eſt ad mortem uno ictu ſubito interiit. Saulus quotidie perſecutor, quotidie lapidator Chriſtianorum, quotidie vaſtator Eccleſiarum: & quia prædeſtinatus eſt ad vitam, uno ictu ſubito vas electionis eſt factus. Quid ergo tu, qui in peccatis permanes, expaveſcis? ſi te Deus dignatus eſt, ſanctus eris. aut quid tu, qui in ſanctitate vivis, ſollicitus redderis quaſi tua te ſollicitudo conſervet? ſi Deus noluerit, nunquam corrues. Vterque de Deo ſecuri eſtote. Numquid tu qui ſanctus es, & ſollicitus es ne corruas, & die noctuque orationibus ades, occuparis jejuniis, & divinis lectionibus diligenter inſiſtis, exhortationibus vacas, atque omnibus ſanctis ſtudiis quotidie immines, numquidnam tuo hoc ſtudio ſalvus eris? Numquid ſanctior eris Iuda, qui accepit poteſtatem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos ſuſcitandi, calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, collega Apoſtolorum, Chriſti diſcipulus, & tamen quia prædeſtinatus eſt ad mortem, mortem æternam invenit? Ceſſa de te, ô homo, ceſſa, inquam, de virtute tua eſſe ſollicitus, & de Dei tantum confide voluntate

tate ſecurus. Nihil enim boni tu Deo obtinebis invito. ſed ſi te dignabitur Deus ut in bono permaneas, ſalvus eris. Tu quoque, qui in peccato deſperatione vana concuteris, diſce à Paulo Apoſtolo, quis unquam par ejus potuit ſceleribus invehiri? Numquid tu aliquando pejora potuiſti, quam ille commiſit, perpetrare peccata? Et tamen, quia prædeſtinatus ad Apoſtolatum, evaſit ſubito univerſa crimina, & ab inferioribus inferis
ad ſuperiora ſuperiorum aſcendit. * Omnes ita- 7.
que, quos ſcit dignos ſalute redemptionis ſuæ Deus, hos ad ſalutem prædeſtinavit: & hos tantum ſalvat, quos ſe ad ſalutem prædeſtinaſſe cognoſcit. Salus enim Dei non voluntati hominis ſervit. ipſe enim ſcit cui quid faciat. Nec enim antecedit humani arbitrii libertas gratiam Dei, ſed antecedit gratia Dei humani voluntatem ar-
bitrii. * Vana eſt enim & infructuoſa voluntas ho- 8.
minis, & vanum eſt humanæ voluntatis arbitrium.
* Errat qui ſe putat per id quod vult bonum per- 9.
venire ad Chriſtnm, cum ipſe Chriſtus dicat,
Nemo venit ad me, niſi quem Pater adtraxerit. Qui Ioan. 6,
melius ſapitis à Chriſto, dicite ſi mentitus eſt 44.
Chriſtus: & ita demum adſerite nos contra Chriſti regulam iſtam fixiſſe ſententiam. Si enim verum dixit Chriſtus, non mentimur quod dicimus prædeſtinatos trahi ad vitam, quia vita ip-
ſe eſt. * Quod ſi adgravat vos vis teſtimonii Euan- 10.
gelici, qui contra noſtram venitis ſententiam, & non poteſtis adgravati pondere ſententiæ nobis dare reſponſum, ſaltem Apoſtoli nobis definiti-
onem exponite, qui dicit: *Non eſt volentis, neque* Rom. 9,
currentis, ſed miſerentis eſt Dei. * Quantumcumque 18.
igitur ſtudii ſui vires ad ædificandum moveat hu- 11.
mana voluntas, caſſo certamine nititur. Aut quid
vi-

vigilantiam ſuam putat hominis fragilitas æternis
deſideriis profuturam, cum propheta evidentibus
Pſa.126, exclamet documentis dicens, *Niſi dominus ædifica-*
1. *verit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.*
Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum vigilave-
runt qui cuſtodiunt eam? Quid eſt quod contra di-
vinos apices, & contra conſcientiam ſuam, ſperat
ſe quiſpiam ædificationi ſtudere, cum his ſacris
apicibus doceatur ædificatio hominis non eſſe
12. certa, ſed vana? * Sed ſi contra nos venitis, non
contra nos venitis, ſed contra eum qui dixit,
Pſa.126, *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laborave-*
1. *runt qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civita-*
tem, in vanum vigilaverunt qui cuſtodiunt eam. Ergo
neſciit quia non erat utile populo Dei qui hæc fe-
cit ſcribi, & per poſteros uſque ad finem ſæculo-
rum dirigi? Vos itaque, qui iſta reprehenditis,
auferte hæc de libro pſalmorum, quia legentes &
pſallentes hos verſiculos, ut dicitis, ædificari non
13. poſſunt. * Sed quid putant iſti ſe voluntate ſua
ad fructum poſſe ædificationis adtingere, cum
nec ipſe vas electionis ſuam ſe adſerat potuiſſe
voluntatem implere? Dicit enim de ſeipſo Apo-
Rom. 7, ſtolus: *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo*
19. *malum illud facio.* Si ergo Apoſtolus quod vult bo-
num implere non prævalet, quomodo iſti dicunt
per voluntatem ſuam ad fructum ſe gratiæ per-
14. venire? * Apoſtoli verba ſunt, noſtrum nihil ad-
jungimus. ipſe de ſe dicit, *Non quod volo bonum hoc*
ago, ſed quod nolo malum illud facio. Et nos culpatis,
15. quia dicimus, * non vocantur niſi prædeſtinati.
17. * Antecedit enim gratia Dei voluntatem hominis.
Prior eſt enim Deus in bono hominis: homo au-
tem, etiamſi optimus ſit, in omni bono vix no-
viſſimus invenitur. Date primas partes Deo,
ut

ut ſuperbiam evacuetis humanam. Quod ſi volueritis ſuperbiam nutrire hominibus, apparet vos ruinam generis humani perquirere, quia docetis, in bono opere non Deum antecedere, ſed hominum voluntatem, ut ipſi videantur magis Deum, ut bonum faciat, ſuis ſuggeſtionibus admonere. quaſi qui non faceret bonum niſi ipſi dixiſſent: cum conſtet Deum nullo ſuggerente, nullo rogante, bona omnibus hominibus condonare. Non
enim dicit Apoſtolus, cum rogaremus, ſed *cum* Rom. 5.
inimici, inquit, eſſemus *reconciliati ſumus Deo,* non per 10.
voluntatem noſtram, *ſed per mortem filii ejus.* Vbi eſt ergo voluntas hominis? excluſa eſt. quare? quia non omnis qui vult ipſe ſalvatur. quia ſi omnis qui vellet ſalvaretur, nullus à ſalute poterat effici alienus. Omnis etenim homo ſalvari vult, ſed non omnis ſalvatur homo: ſalvatur autem is quem voluerit Deus. utique inquam is quem voluerit Deus. ut excluſa hominis voluntate, ſuam plenam ex integro gratiam manifeſtet. Quod ſi ali-
quem vult Deus bonum eſſe, & bonus non eſt, * 16.
ergo homo vincit Deum. Vincit enim Deum, ſi Deus eum vult eſſe bonum, & bonus non eſt. Dei
ergo voluntas & effectus eſt in bono hominis.* 18.
Non enim cum rogaremus, neque cum peteremus, ſed cum inimici inquit eſſemus, reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus. Cum autem pro omnibus mortem filii ejus legitis, miror quomodo omnes intelligatis, cum paucos vix ad ſa-
lutem cernatis adtingere. * Vbicumque autem 19.
omnes legitis, generaliter omnes vultis intellegi, cum omnes ſæpe pro parte doceantur. Nam cum
dicitur, *Omnes declinaverunt*, non tamen omnes Pſal. 13,
declinaverunt, & *omnis homo mendax*, non tamen 3.
omnis homo mendax, quia de quodam legimus, Pſa. 115, 11.

Erat

Digitized by Google

Eccl. 15, *Erat homo verax.* & illud, *viri mendaces, non erunt*
8. *illius memores: viri autem veraces inveniuntur in ea.*
Pars ergo maxima omnes videtur ſignificare, cum
utique conſtet, non debere omnes intellegi. Et
20. hoc miror, quod * clauſis oculis tranſitis hoſtis
inſidias, vos qui dicitis voluntatem hominis aliquid adquirere poſſe virtutis: non adtendentes
quantæ ruinæ caſtitatis per diabolum fiant, quantaque crimina concupiſcentiæ, avaritiæ, livoris,
ac perfidiæ, quotidie perpetrentur. Quæ utique
ſi videretis, non laboraremus vobis oſtendere
damna virtutum, & victorias vitiorum. Si integra enim eſſet libertas arbitrii, iſta non fierent.
21. * Per prævaricationem itaque primi hominis pe-
22. riit ab hominibus libertas arbitrii. Sed vos * hæreſem Pelagianam iterum renovatis, cum dicitis
per libertatem arbitrii homines finem ponere
23. poſſe peccatis. * Excluditis enim gratiam per
libertatem arbitrii. Aut enim libero arbitrio liberamur, aut gratia Dei eripimur. Eligite quid
dicatis. Si gratiæ totum dederitis, unum ſapimus: ſi libero arbitrio, ſciatis nos vobis conſen-
24. tire non poſſe. * Vnde autem illi major libertas
arbitrii in bono, unde iſti minor eſt, niſi quia Dei
diſpenſatione cenſentur? In alio enim tenuem ſe
exhibet gratia, in alio abundantem & largam,
prout ipſa vult gratia, non prout nos volumus,
25. qui à facturæ noſtræ ordine receſſimus. * In tantum denique vitiatam per prævaricationem Adæ
hominis naturam agnovimus, ut inſtaurationem
ſuam per Chriſtum non in re, ſed in ſpe fuerit
Rom. 8, conſecuta, dicente Apoſtolo, *Spe ſalvi facti ſu-*
24. *mus. ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes.* Si ergo ſpe
ſalvati ſumus, adhuc rem in præſenti ſæculo non
26. accepimus. * Ideo denique baptizati iterum carna-

Digitized by Google

naliter concupiſcunt, & illos motus corporis patiuntur, quia ſpe non re conſecuti ſunt inſtaurationis auxilium. * Si enim re conſecuti fuiſſent, 27.
poſt baptiſmatis gratiam non eſſet peccati poſſibilitas, nec voluntas. Verum quia virtus baptiſmatis tanta eſt, ut univerſa peccata deleat, pullulatio tamen peccatorum baptiſmatis unda non abluitur. ineſſe enim per Adam naturaliter perdocetur. Nam illa membra, quæ in baptiſmatis hora confuſione carent, poſtea confuſionem recipiunt, qua evitant ubique conſpectum, & quærunt pudendo ſecretum. * Quæ enim Deus mem- 31.
bra fecerat, prævaricatio in pudenda convertit, & non dicuntur membra, ſed pudenda. Quæ pudenda in puncto illo baptiſmatis membra fiunt, ſed mox iterum pudenda efficiuntur ex membris. non enim re, ſed ſpe inſtaurati ſunt. * Concupiſ- 30.
centia enim carnis, quæ per prævaricationem Adæ regnat in corpore tanquam lex peccati, iterum ſibi vindicat baptizatum, totumque animum ejus conatur evertere. Hæc enim radix illius plagæ eſt, quam Chriſtus ſalvavit. Salvavit autem ſic, ſicut Apoſtolus dicit, *Spe ſalvi facti ſumus.* Et jubet nos animum ad inviſibilia contemplanda transferre, nec de his quæ videntur præſumendo conruere. & ideo dicit, *Spes autem quæ videtur, ſpes non eſt.* * ne forte æſtimarentur per baptiſmum 28.
ita tolli peccata, ut etiam radices ipſæ peccatorum pariter evellantur. Motus enim ille pollutionis, qui per prævaricationem naturam invaſit, ita remanet in baptizato, ſicut radix capilli, cum fuerit novacula in ſuperficie emundatus & raſus. Raſus enim eſt, ut emundaretur locus: non eſt eradicatus, ne ulterius naſceretur. * Si enim ex 29.
integro per baptiſmum omnis prævaricationis

Adæ

Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus ſordibus inquinaretur humanis, nullus concupiſcentiæ ſtimulo pungeretur. Sed quia ſpe ſalvi facti ſumus, quod adhuc non videmus, per patientiam exſpectamus. Venit tempus, in quo neque nubant, neque uxores ducant, ſed ſint ſicut Angeli in cælis. Cum enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, *Abſorpta eſt mors in victoriam, ubi eſt mors contentio tua? ubi eſt mors ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum, virtus vero peccati lex.* Tunc dicemus, Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

1 Corin. 15, 54.

FINIS.

PRO-

PROLOGUS

Libri ſequentis.

FInitus eſt liber inimicus hominum, contra fidem catholicam confictus. liber doloſus, circumdatus fallaciis, adulter integræ diffinitionis. quique, ut ſanctus Cyprianus ait, falſa oſtentat, ut vera ſubripiat. Qui ſub ſpecie pietatis editus, agit contra omnium inſtituta Sanctorum. Hujus libri cauſa, ut memoravimus in præfatiuncula, omnium hæreticorum in unum librum collegimus ſectas, ut ſciant defenſores ejus cunctis nos hæreſibus adverſari, & nullius contra eos uti conſenſu. Itaque ô ſancta mater Eccleſia, puræ fidei genitrix, contra occultos hoſtes tuos, contra novos barbaros pacificum habitum mentientes, contra eos qui per te contra te arma corripiunt, noſtras vires exalta, & volentes inire certamen adjuva. contra hos præcipue, contra quos adhuc nullus ſcribendo pugnavit, cum illi ſcriptis ſuis, ſub ſacerdotis Auguſtini nomine, totum pene jam vulneraverint mundum, vitiatos libros proferendo, & varias epiſtolas dando, quas memorati Hipponienſis Epiſcopi eſſe confingunt. Et vos omnes catholicæ fidei defenſores precibus exoramus, ut excluſa omni occupatione, intentius noſtrum prælium adtendatis. & futurum judicem judicii veſtri ante oculos habentes, ex integro defendenda defendite, ex integro damnanda damnate. Cur autem, intermiſſis aliis pravitatibus, hunc librum in medium adtulimus ſolum, hæc ratio eſt, quia

in modum Symboli eis quos deceperint tradunt. Hunc ergo totum per ordinem credidimus ſcribendum, ne videantur ea quæ facile vinci poterant ex eorum libro fuiſſe diſcerpta, & illa callide prætermiſſa, quæ ipſum librum poterant ab accuſationis noſtræ injuria vindicare. Nihil ergo prætermiſimus: ſed omne corpus ejus his detegentes ſcriptis, gladium contra eum verbi Dei proferimus, atque in partes eum concidentes, ſingula quæque membra ejus Catholicorum oculis denudamus, oſtendentes quæ venena in capite habeat, quæ in ore contorqueat, quas ex pectore ſagittas emittat: ac per ſingula membrorum officia adverſarietatis ejus arguentes aſtutias, & captivum eum Eccleſiæ catholicæ pedibus proſternentes, omnibus eum facimus manifeſtum, ut ex hoc ipſe ſui damnator exiſtat, qui catholicam doctrinam deſerens, conſenſum ſuum hujus libri voluerit contagione violare.

LIBER

Digitized by Google

LIBER TERTIUS

Refutationem continens libri ſuperioris ſub S. Auguſtini nomine confićti.

HActenus hæreticorum omnium incenſæ ſunt ſilvæ, in quibus latrocinante perfidia divitiæ fidei pervaſæ ſunt, prædam paſſa Eccleſia, animarum ſanguis effuſus. Verum quia ſolitum eſt ſpinis, poſt incendium iterum pullulare, falcem divini judicii teneamus, ut rediviva & contra cælum euntia ſpinarum capita amputemus. Non deerunt, procurante Deo, huic agro cultores, ut poſſint beati immaculati in fide, qui ambulant in lege Domini, abſque impedimento ſentium pervenire quo pergunt. Nonageſimam hæreſim Prædeſtinati fecerunt, oſtendentes libros falſos, quos Auguſtini confingunt, cujus dicta in multis locis leguntur iſtis libris valde contraria. Datur ergo Catholicis vera ſuſpicio, quod tam ſcelerata dicta viri orthodoxi eſſe non poſſint, quæ dantes manus Mathematicis, dicunt humanum genus ita divinis prædeſtinationibus ſubjacere, ut mala omnia quæ geruntur in ſæculo, Dei dicantur voluntate committi. Ne ergo participes nos eorum timor humanus aut verecundia faceret, omnium hæreticorum egimus curas, & invenimus neminem pejus potuiſſe errare, quam hos qui dicunt mala omnia & crimina Dei prædeſtinatione committi. Habeant ergo omnes hæretici unum librum, in quo eos non de poteſtate, ſed de ratione vera damnavi-

mus; ut ſciant Prædeſtinati nulli nos conſentire hæretico. Habeant & Prædeſtinati unum librum, in quo eos Deus ipſe convincit, qui ſcit ſe nullum prædeſtinaſſe ad malum, omnes autem prædeſtinaſſe ad bonum. ut quod bonum eſt, ipſius comprobemus. Omnia enim bona, quæ faciunt nunc homines, aut quæ ab initio fecerunt, vel facturi ſunt, Dei gratiæ, Dei clementiæ, Dei dicimus auxilio, Dei etiam prædeſtinatione completa. Prædeſtinatione autem, non qua vim faciat Deus bonum nolentibus, ſed qua ipſe nunquam mutet ſententiam bonitatis, & inceſſanter ſit bonum volentibus promptus, malum autem volentibus imparatus. Siquidem venientibus ad bonum, fidei eorum ſtatim remunerationem exhibeat, conferendo indulgentiam peccatorum, & Dei filios faciendo: euntibus autem ad malum non ſtatim pœnam inferat quam merentur, ſed expectationis ſuæ pias largiatur inducias. Hoc propoſitum Dei prædeſtinatum confitemur & fixum. Ergo dum mala fiunt, non Deus ſuum propoſitum ſubduxit, ſed homo ſuum contemptum induxit: nec Deo volente factum eſt aliquando peccatum, ſed homine eſt negligente commiſſum. In tantum Deo nolente humanum deliquit genus, ut ſemper peccata exercentibus iraſceretur, & juſtitiam agentibus ſubveniret. Denique dum totus mundus à juſtitia declinaſſet, & dignus eſſet diluvii perire naufragio, docetur Deus voluiſſe eum per ſuam correptionem ſalvari. Nam quid eſt quod
1 Petr. 3, 20. Apoſtolus Petrus dicit? *Expectavit Dei patientia eos qui increduli fuerunt in diebus Noë cum fabricaretur arca.* Dicite nobis, quid expectabat Dei patientia? Numquid prædeſtinatam perditionem, an provocatam converſionem? Fabricatio itaque arcæ diluvii

luvii extitit prædicatrix. Clamabat aſcia, ſonabat malleus, conteſtabatur ſerra, & ipſa infidelibus prædicabant ferramenta diluvium. Datis itaque centum annorum induciis, præceſſit lex, quæ perituros diceret poſſe pœnitendo evadere: quam non prædeſtinatio impediit, quæ negaret poſſe corrigendo ſalvari. Si enim prædeſtinatio finibus ſuis terminum fixit, injuſta eſt lex, quæ fines cupit invadere alienos. Ergo ut prædeſtinationem conſtituas, præcepta convince. da legi repudium, ut regnum prædeſtinationi inducas. lex enim imperare omnibus ſemper voluit, & nunquam ulli ſervire. Si ergo prædeſtinatio imperium legis evacuat, & lex prædeſtinationis jura conturbat, una è duabus tyrannidem geſtat. Eligite nunc, catholici, cui colla ſubdamus. Si legi, negemus prædeſtinationem ab imperio ſuo legem excludere. quia lex dicit, Cuſtodi præcepta mea, & vives: prædeſtinatio autem dicit, Vaſa iræ jam aptata ad interitum, & vaſa miſericordiæ quæ vocantur ad vitam. Vtrumque ſcriptum eſt: quid nunc faciamus, eligite. Si jam ſunt vaſa iræ aptata à Deo ut peccent, & ſunt vaſa miſericordiæ aptata ad vitam ut vivant, fundamus nos omnes prædeſtinationis imperio, & legem cum ſuis prædicatoribus expellamus. Et ne forte hoc auſu facinoris novum putetis eſſe peccatum, fecit hoc ab initio omnis turba peccantium. Nam ut quid interfecta eſt Prophetarum, & Apoſtolorum, & omnium turba Sanctorum, niſi hac de cauſa, quia legem Dei humanis ſenſibus ingerentes, arguebant in peccatoribus vitia? Qui ſi voluiſſent adulationis voce regnum prædeſtinationis inducere excluſa lege juſtitiæ, nullus fuiſſet occiſus. Dicebant enim illis, ſicut ſcriptum eſt, *Nolite prædicare nobis dura.*

dura. Quid eſt, nolite prædicare nobis dura? Hoc eſt ſine dubio, nolite nobis per legem comminantem prædicare ſupplicia. Illi ad hæc, ſi vos noſtri temporis monitores audiſſent, habuerant illis in his verbis adulando ſervire, & ſicut vos facitis, per legis eos teſtimonia male interpretata decipere.

I. Verba Prædeſtinatorum. „ Eſtote ſecuri de ordinatione Dei, quam prædeſtinando conſtituit. Cui vult Deus miſeretur, „ & quem vult indurat. Non eſt enim volentis, „ neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Poteſtatem habet figulus luti ex eadem maſſa facere „ unum vas ad honorem, aliud ad contumeliam, „ caro adverſatur ſpiritui, ſpiritus carni. Hæc invicem ſibi adverſantur, ut non quæ vultis ipſa „ faciatis. Iam prædeſtinavit Deus quos præſciit. & „ quos prædeſtinavit, hos vocavit: quos vocavit, „ hos juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos magnificavit. Non eſt in homine via ejus. Quid putatis vos in eo quod bene agitis eſſe laudandos, „ cum ideo lex loquatur, ut timorem incutiat? „ cæterum nihil fit, niſi quod voluerit Deus. quem „ voluerit eſſe ſanctum ſanctus eſt, aliud non erit: „ quem præſcierit eſſe iniqunm, iniquus eſt, non „ erit aliud. Prædeſtinatio enim Dei jam & numerum juſtorum, & numerum conſtituit peccatorum. & neceſſe erit conſtitutum terminum „ præteriri non poſſe. Hæc quæ vos dicitis ſi dixiſſent, hominum quidem temporales evaſerant iras, ſed invenerant Dei æterna ſupplicia. Non ergo hoc dixerunt, ſed dixerunt, *Hæc dicit Dominus, ſi volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis. ſi autem nolueritis, neque audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt hæc.* &

Iſa. 1, 19. iterum, *Hæc dicit Dominus: Quia vos receſſiſtis à me, & ego*

& ego recedam à vobis, & tradam vos Aſſyriis in depredatione. filios veſtros in conſpectu veſtro occident gladio, & uxores veſtras abducent, quoniam contempſiſtis legem meam, & quæ ego nolui elegiſtis. & iterum, Hæc dicit Dominus: *Numquid opprobrium factus ſum domui Iſrael, quoniam me dereliquerunt, & præcepta mea & legitima mea computaverunt pro nihilo?* & iterum, *Quoniam vocavi & contempſiſtis, ego quoque in veſtra perditione ridebo, & gratulabor dum venerit ſuper vos repentina calamitas.* Hæc & his ſimilia dicentes, diverſis ſunt interfecti ſuppliciis. Vnde & Dominus ad populum civitatis, in qua prophetæ fuerant interfecti, clamat tam in prophetis, quam in euangeliis ſuis dicens, *Hieruſalem, Hieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti?* Noluiſti inquit quod volui, voluiſti quod nolui. Si ergo noluit Deus quod illi voluerunt, & voluit quod illi noluerunt, aut coactus à potentiore alio prædeſtinationem conſtituit, aut ſi ipſe conſtituit, calumniam fecit. Vt quid enim dicit homini, hoc volui quod noluiſti, ſi ſcit ſe eum prædeſtinaſſe ne vellet? Secundum veſtram blaſphemiam excluditur reatus hominis, & apparet calumnia Dei: & probatur innocens qui delinquit, & injuſtus qui punit. Dolendum enim eſt peccanti potius quam iraſcendum, quia vim paſſus eſt à prædeſtinatione divina, cum rueret ad præcipitia criminum. Hoc enim voluit qui creavit. qui enim creavit ipſe prædeſtinavit. Quod ſi ita eſt, conſtat non ſuum eſſe vitium omnino qui peccat. Si ergo non ſuum habet vitium omnino qui peccat, & conſtat à juſto Deo extranea eſſe univerſa quæ damnat, cujus invenitur factum, hujus invenictur

Prov. 1, 26.

Matth. 23, 37.

Digitized by Google

dura. Quid eſt, nolite prædicare nobis dura? Hoc eſt ſine dubio, nolite nobis per legem comminantem prædicare ſupplicia. Illi ad hæc, ſi vos noſtri temporis monitores audiſſent, habuerant illis in his verbis adulando ſervire, & ſicut vos facitis, per legis eos teſtimonia male interpretata decipere.

I. Verba Prædeſtinatorum.

„ Eſtote ſecuri de ordinatione Dei, quam prædeſtinando conſtituit. Cui vult Deus miſeretur, „ & quem vult indurat. Non eſt enim volentis, „ neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Poteſtatem habet figulus luti ex eadem maſſa facere „ unum vas ad honorem, aliud ad contumeliam, „ caro adverſatur ſpiritui, ſpiritus carni. Hæc invicem ſibi adverſantur, ut non quæ vultis ipſa „ faciatis. Iam prædeſtinavit Deus quos præſciit. & „ quos prædeſtinavit, hos vocavit: quos vocavit, „ hos juſtificavit: quos autem juſtificavit, hos magnificavit. Non eſt in homine via ejus. Quid putatis vos in eo quod bene agitis eſſe laudandos, „ cum ideo lex loquatur, ut timorem incutiat? „ cæterum nihil fit, niſi quod voluerit Deus. quem „ voluerit eſſe ſanctum ſanctus eſt, aliud non erit: „ quem præſcierit eſſe iniquum, iniquus eſt, non „ erit aliud. Prædeſtinatio enim Dei jam & numerum juſtorum, & numerum conſtituit peccatorum. & neceſſe erit conſtitutum terminum „ præteriri non poſſe. Hæc quæ vos dicitis ſi dixiſſent, hominum quidem temporales evaſerant iras, ſed invenerant Dei æterna ſupplicia. Non ergo hoc dixerunt, ſed dixerunt, *Hæc dicit Dominus, ſi volueritis & audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis. ſi autem nolueritis, neque audieritis me, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt hæc.* &

Iſa. 1. 19. iterum, *Hæc dicit Dominus: Quia vos receſſiſtis à me, & ego*

& ego recedam à vobis, & tradam vos Aſſyriis in depradatione. filios veſtros in conſpectu veſtro occident gladio, & uxores veſtras abducent, quoniam contempſiſtis legem meam, & qua ego nolui elegiſtis. & iterum, Hæc dicit Dominus: *Numquid opprobrium factus ſum domui Iſrael, quoniam me dereliquerunt, & pracepta mea & legitima mea computaverunt pro nihilo?* & iterum, *Quoniam vocavi & contempſiſtis, ego quoque in veſtra perditione ridebo, & gratulabor dum venerit ſuper vos repentina calamitas.* Prov. 1, 26. Hæc & his ſimilia dicentes, diverſis ſunt interfecti ſuppliciis. Vnde & Dominus ad populum civitatis, in qua prophetæ fuerant interfecti, clamat tam in prophetis, quam in euangeliis ſuis dicens, *Hieruſalem, Hieruſalem, qua occidis prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quotiens volui congregare filios tuos, ſicut gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti?* Matth. 23, 37. Noluiſti inquit quod volui, voluiſti quod nolui. Si ergo noluit Deus quod illi voluerunt, & voluit quod illi noluerunt, aut coactus à potentiore alio prædeſtinationem conſtituit, aut ſi ipſe conſtituit, calumniam fecit. Vt quid enim dicit homini, hoc volui quod noluiſti, ſi ſcit ſe eum prædeſtinaſſe ne vellet? Secundum veſtram blaſphemiam excluditur reatus hominis, & apparet calumnia Dei: & probatur innocens qui delinquit, & injuſtus qui punit. Dolendum enim eſt peccanti potius quam iraſcendum, quia vim paſſus eſt à prædeſtinatione divina, cum rueret ad præcipitia criminum. Hoc enim voluit qui creavit. qui enim creavit ipſe prædeſtinavit. Quod ſi ita eſt, conſtat non ſuum eſſe vitium omnino qui peccat. Si ergo non ſuum habet vitium omnino qui peccat, & conſtat à juſto Deo extranea eſſe univerſa quæ damnat, cujus invenitur factum, hujus invenietur

eſſe peccatum. Nulla enim ratio patitur, ut ubi alter prædeſtinator eſt, ibi alter prævaricator eſſe dicatur: nec recipit hoc boni & júſti æquitas, ut prædeſtinationem ſuam crimen faciat alienum. Ergo ut peccantem punias, oſtende prædeſtinantem: da auctorem prædeſtinationis, ut poſſis judicem monſtrare peccati. quia unum eumdemque oſtendere non potes prædeſtinantem atque damnantem. Si enim Deus auctor eſt prædeſtinationis, & operum noſtrorum ipſe eſt conſtitutor, oſtendite alium qui puniat prædeſtinata peccata: aut ſi quaſi juſtus injuſta humani operis facta condemnat, hujus injuſtitiæ alium nobis prædeſtinatorem oſtendite. Cui enim diſplicet factum, nunquam potuit ab eo ut fieret conſtitutum. Perquam enim ſtultum eſt, ſi ipſum prædeſtinatorem eundem damnatorem operum confiteris. Nullus enim tam impius quam is qui rem à ſe præordinatam exhorreat, & id puniat factum, quod ipſe præordinavit ut fieret. Niſi ſi forte, animo ad meliora converſo, mutabilitate conſilii quod prius fecit judicat eſſe damnandum. quod qui agit doctrina melioris impellitur. Qui vero in omnipotentiæ virtute conſiſtit, & nec parem novit, nec ſuperiorem metuit, dicite nobis prædeſtinationem ſuam quo compellente damnavit? quia ſi prædeſtinati opera rea eſt, multo magis prædeſtinantis ordinatio criminoſa. Si enim is qui prædeſtinatus eſt, per prædeſtinationem ipſam reus eſt, quanto magis ille, cujus prædeſtinatio facta eſt, vocatur in culpam? Cavete, obſecro, ne hæc adulterini ſeminis zizania caſto Eccleſiæ dogmati aſpergantur. quia peccatum non à prædeſtinante dirigitur, ſed à delinquente committitur. Recedant ergo vana argumenta verborum. Nihil habent

bent omnino commune prævaricatio delinquentis & prædeſtinatio vindicantis. quia peccatum in voluntate tranſgreſſoris eſt, prædeſtinatio autem in redemptoris eſt ordinata virtute. Non enim aliud prædeſtinavit iſte qui condidit, niſi ut ſecundum ejus homo poſſit vivere voluntatem. Nefas eſt enim, & nimis eſt criminoſum, ut præſumptio hominis ex Dei credatur prædeſtinatione deſcendere, & delinquentis vitium præordinatio futuri judicis æſtimetur. Occurrunt hoc loco, & dicunt, per præſcientiam Deus prædeſtinationem ſuam conſtituit. Nam quos præſciit nullo modo converti, hos prædeſtinavit ad mortem: & quos præſciit omnimodo converti, hos prædeſtinavit ad vitam. Videamus nunc, ſi non iniquis ambagibus judicium Dei ad præjudicium juſtitiæ trahitis. Ergo adhuc non ſunt creati homines, & jam à juſto Deo præjudicium patiuntur? Videtur mihi quod alterum vobis inveniſſetis Deum, qui tam impius ſit, ut à præjudicio circumveniat humani generis maſſam, & nondum nati hominis merita diſpungendo conſtituat, ac prædeſtinationis ſuæ vinculo ad peccandum adſtringat. & cui adhuc conceptio non eſt, jam illi præparet æterna ſupplicia: & cui adhuc non dedit lucis hujus labentis tranſitoria munera, jam illi perpetuas tenebrarum præparet pœnas. Quærite vobis, ut dixi, alterum Deum de quo iſta dicatis. Nam hunc pium & clementem noſtrum nunquam ad hoc provocabitis, ut ſaltim blaſphemiis veſtris commotus, etiam vobis hoc faciat. Nam qui vos patienter tolerat, neſcio jam cui peccanti non parcat. Quotidie nobis injuſte agentibus ſubvenit, & recentioribus delictis ſubinde recentiora indulgentiæ ſuæ dona largitur, & vos dicitis,

Digitized by Google

Iam ante mundi conſtitutionem indignatus nobis pro futuris peccatis prædeſtinavit ſententiam. In præſenti ſe blaſphemantibus veniam tribuit: & vos dicitis, Iam tunc indignatus eſt contra peccaturos, & prædeſtinavit eos ad mortem, quando prima lineamenta generationis humanæ formavit. Iam ergo tunc egit judicium mundi, antequam ipſum mundum ſtatueret, ut jam poſt finem ſæculi non inveniat quem punire. Laborem ſibi forte voluit tollere, & ne non occurreret poſt facta ſua homines judicare, ante eos prædeſtinavit ad mortem, quam crearentur ad vitam. Et tamen, ſi ipſe creavit quos prædeſtinavit ad pœnas, prævenit meritum occidendi, & qui adhuc non cœpit vivere, ſententiam jam æternæ mortis accepit. Hoc Deus noſter nunquam fecit. ſi veſter eſt aliquis alius, ipſi iſtas inrogate blaſphemias. De Deo autem noſtro dicit propheta,

Ezech. 33. *Vivo ego, dicit Dominus, quia cum dixero peccatori, morte morieris, & peccator ſe abſtulerit à via ſua mala, & ab ſtudiis ſuis peſſimis, vivo ego dicit Dominus, vita vivet, & non morietur in delicto ſuo quod fecit. Et ſi dixero juſto vita vives, & receſſerit poſthac à juſtitia ſua, vivo ego, dicit Dominus, quia morte morietur. juſtitia ejus non liberabunt eum. in die qua receſſerit à juſtitia, & fecerit iniquitatem, in iniquitate ſua morietur.* Vides noſtrum Deum, ex utroque latere, & juſtum monere, ne per ſecuritatem corruat, & peccatorem adloqui, ne pro deſperatione non ſurgat. Si alicubi vos legiſtis de Deo, Vivo ego dicit Dominus, quia quem prædeſtinavi ad vitam, aliud non erit, & quem prædeſtinavi ad mortem, ſine dubio morietur, quis vos ferret iſta docentes? Ecce contra ſententiam. veſtram Deus loquitur, & ipſi Deo de ſe teſtimonium danti non creditis.

Nec

Nec juſtus ſecurus ſit, inquit, ſi dixero ei vita vives: quia ſi receſſerit à juſtitia, in iniquitate morietur. & cum dixerim peccatori morte morieris, & converſus fuerit, vivo ego dicit Dominus, iniquitatum ejus non recordabor, vita vivet. Nolo enim mortem morientis, tantum ut convertatur & vivat. Occurrunt nobis iterum clamantes, Hoc in veteri lege ſcriptum eſt, in novo autem Apoſtolus clamat, *Vaſa iræ aptata in* Rom. 9,
interitum. Ergo ſi ante adventum pietatis pietas 22.
jam exuberabat, quanto magis nunc, ubi pietas ipſa pro impiis ſententiam impietatis accepit, ut impios à reatu ſuo abſolveret, & eos ad indulgentiæ gratiam revocaret? Videamus ergo vaſa iræ quo ordine aptentur in interitum. Audi Apoſtolum, non Dei præordinationi hoc, ſed hominis negligentiæ vel diligentiæ adplicantem. *In magna*, inquit, *domo non ſunt tantum vaſa aurea &* 2 Tim. 2,
argentea, ſed & lignea & fictilia. & quædam quidem 20.
ſunt in honorem, quædam autem in contumeliam. Si quis ergo mundaverit ſemetipſum ab his, erit vas in honore ſanctificatum, utile Deo ad omne opus bonum paratum. Ergo vaſa aptata iræ in interitum, ſi ſe emundaverint ab his pro quibus aptata ſunt in interitum, erunt vaſa in honore ſanctificata, & Deo utilia ad omne opus bonum parata. ſecundum quod ſupra dixit ad prophetam, *Cum dixerim peccatori, morte morieris*, hoc eſt, cum dixerim, eris vas aptatum ad interitum, & hic peccator converterit ſe ab iniquitate ſua, hoc eſt, cum ſit vas aptatum ad interitum, mundaverit ſemetipſum ab his, erit vas in honore ſanctificatum. Poſteaquam hinc eos ſuperaveris, ad obſcuriora loca ſcripturarum confugiunt, ut ſagittent in obſcuro rectos corde. * Neſcitis, inquiunt, quia 2.
ſcri-

„ ſcriptum eſt, Iacob dilexi, Eſau autem odio ha-
„ bui? Cum enim nondum nati fuiſſent, nec aliquid
„ egiſſent boni vel mali, ex præſcientia dictum eſt,
„ ut unus haberetur odio, alius amaretur. Neceſſe nobis erit in hoc loco, de lumine ſacræ legis interpretatiunculæ hujus lumen incendere, ut detegamini, non aliud in obſcuris locis vos figere, niſi ut ſimpliciter ambulantes exſpolietis catholicos veſtitu deaurato, & induatis eos pannis hæreticorum ſordibus plenis. In Geneſeos libro de Rebecca dictum eſt, *Duæ gentes & duo populi de tuo utero prodient, & populus populum ſuperabit, & major ſerviet minori.* Prophetia ergo non de his eſt qui ſecundum carnem naſcebantur, ſed de duobus populis Iudæorum & Gentium. in quo major populus Iudæorum ſerviet minori, id eſt Gentium. Sic enim & ſequitur Apoſtolus, *à præſciente*, inquit, *dictum eſt, quia major ſerviet minori.* Vt quid hoc dixiſti, ô beate Paule Apoſtole? peto ut reſpondeas. Numquidnam propterea hoc dixiſti, ut prædeſtinatio præjudicium naſcituris adferret? Reſpondet ita Apoſtolus: Ego propter hoc dixi, major ſerviet minori, ut electio ex Gentibus fieret. Ergo ſi prophetiæ hujus myſterium nobis interpretatur Apoſtolus, tu quis es qui aliter, quam explanavit nobis magiſter verus, iſtum ſenſum exponas: cum ſcias dictum ab eo, quod *ſi Angelus de cælo euangelizaverit vobis præterquam euangelizavimus vobis, anathema ſit?* Occurrunt hoc lo-

Gen. 25, 23.

Rom. 9. 12.

Gal. 1, 8.

3. „ co renovato certamine dicentes: * Nos non dici-
„ mus præterquam euangelizavit Apoſtolus. Per
„ præſcientiam Dei prædeſtinationem factam ipſe
„ commemorat. de Deo ipſe dicit, *Quos vocavit, hos*
„ *prædeſtinavit.* Si præſcientem & prædeſtinantem,
„ & vocantem in Apoſtolo legitis, nobis ut quid

im-

impingitis crimen? Nos vobis crimen non impingimus, ſed probamus. Sive enim vos peritos dicatis, arguimus non ſic ſenſus Apoſtolicos vos debere concidere: ſive vos probetis imperitos, increpamus non ſcientes præſumere non debere, & ejus rei magiſterium polliceri, cujus numquam voluiſtis eſſe diſcipuli. Vos enim, ſi voluiſſetis diſcere prius, & ſic docere, ab iſtis interpretationibus fugientes, à Dei æquitate nunquam receſſeratis, nec diceretis, quia non omnes homines vult ſalvos fieri. Apoſtolus autem legis peritus noſter, omnibus ſe omnia factum dicit, ut omnes lucrifaceret peccatores. Iam enim didicerat, quia concluſit Deus omnia in incredulitate, & vult ut omnibus miſereatur. Didicerat quod omne os deberet obſtrui, & ſubditus deberet fieri omnis mundus Deo, & ideo dicebat, *Dico autem per gratiam quæ data eſt mihi omnibus qui in vobis ſunt.* & iterum, *Corripientes omnem hominem, & docentes.* & iterum, *Idem Deus dives in omnibus vobis.* & iterum, *Apparuit gratia Dei omnibus hominibus, erudiens nos & docens, ut ſit omnis homo perfectus in Chriſto.* & quia ſciebat Filium Dei pro omnibus natum, pro omnibus paſſum, ideo clamat, dicens, *Hoc placitum eſt coram Salvatore noſtro Deo, qui vult omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Vnde etiam quotidie nobis in Euangeliis ſuis ipſe Dominus clamat, dicens, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam.* Vnde ut doceret ſe nullum hominem à ſua largitate repellere, promptus, liberalis, abundans, nunquam minus faciens, loquitur in Euangeliis ſuis dicens, *Omnis qui petit accipit, & qui quærit, invenit, & pulſanti aperietur.* Nam & ſcriptura veteris Teſtamenti omnes ad audiendum gentes invitans, dice-

1 Cor. 9. 12. Rom. 12, 3. Coloſſ. 1, 28. Tit. 2, 11. 1 Tim. 2. 3. Matth. 11, 28. Matth. 7, 8.

Pſal. 48. 3. dicebat, *Audite hæc omnes qui habitatis orbem, quique terrigenæ & filii hominum, ſimul in unum dives & pauper.* Et ideo idem Apoſtolus, videns quia omnes homines vult Deus, non tamen omnes homines Deum volunt, futurum judicium memorans clamat, dicens, *Omnes nos oportet manifeſtari ante tribunal Chriſti, ut recipiat unuſquiſque propria corporis prout geſſit, ſive bona ſive mala.* (2 Cor. 5, 10.) Vnde & Apoſtolus Petrus, *Gratia*, inquit, *Dei ſuper omnes, & in omnibus vobis.* Prophetæ omnes vocant, Apoſtoli omnes vocant, Chriſtus omnes vocat, in toto orbe terrarum ſacerdotes Dei innumerabiles omnes vocant ad gratiam & ad miſericordiam Dei, & ad indulgentiam. Soli duo, aut tres homunciones, cæcum habentes cor, egrediuntur cum his libris apoſtaticis, quos viri catholici eſſe confingentes, totum vulnerant mundum, quibus novum genus blaſphemiæ inducentes dicunt, quod Deus non omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. atque unius loci obſcuritatem paſſi, tanto lumini, tamque immenſo ſplendori, tenebrarum ſuarum volunt inferre caliginem. Sed quia lux lucet in tenebris, & tenebræ eam non valent comprehendere, juvante Domino, ex ejus theſauris accipientes, locum quem putant hæreſi ſuæ manum porrigere explanavimus. Dicamus nunc & de præſcientia & de prædeſtinatione. Præſciit Deus & prædixit quod in ſemine Abrahæ, hoc eſt in Chriſto, benedicerentur omnes gentes. Quod dum fieret, Iudæi ſatis moleſte ferebant. Nam ideo comprehendebant Apoſtolos, & in cuſtodiis retinebant, dicentes eis, *Prædiximus vobis ne prædicaretis hoc nomen: vos autem repleſtis omnes doctrina veſtra.* (Actor. 5, 28.) Apoſtolus autem Paulus, videns Iudæos in eo deficere quod gentes in-

introirent ad fidem, & excluderent Iudæos à privilegio Synagogæ per privilegium Eccleſiæ, adloquitur eos ut non contriſtentur, dicens, Quid nunc prohibetis nos Gentibus loqui ne ſalvæ fiant, cum ſciatis Deum dixiſſe ad Abraham, quod in ſemine tuo hæreditabo omnes gentes? Præſciit enim Deus, quod Filium ejus eſſent negaturi Iudæi, & eſſent ei Gentium populi credituri. Et ideo ait, *Quos præſciit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filij ſui, ut ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. 29. Iudæi enim per circumciſionem filii Abrahæ docentur, Gentes autem per baptiſmum filii Dei fiunt, & eſt illis frater primogenitus Filius Dei. Vnigenitus inquam, ſpecialiter Filius Dei, frater fit eorum qui generaliter filii Dei adoptantur. unde & dicit Patri, *Narrabo nomen tuum fratribus meis.* Pſal. 21. 23. Hos ergo gentium populos præſciit, ut diximus, quod Filium ſuum, quem Iudæi crucifixuri erant, ſincero corde ſuſciperent, & ut decebat Dei Filium adorarent. Quos ergo præſciit, & prædeſtinavit conformes fieri imaginis Filii ſui, ut Filius ejus eſſet primogenitus in multis fratribus, hos prædeſtinavit. quos autem prædeſtinavit, hos vocavit. Si interrogas Apoſtolum, quando prædeſtinavit? dicit tibi, tunc quando dixit Abrahæ, *In ſemine tuo hæreditabo omnes gentes.* Et ideo per Prophetam dicit, *Audite hæc omnes gentes.* Dicit ergo Iudæis, Nihil novum vobis videatur feciſſe Deus, qui voluit promiſſum patri noſtro Abrahæ complere quod promiſerat, ut in ſemine ejus hereditentur omnes gentes. Ergo quia omnes gentes prædeſtinavit, omnes gentes concluſit in incredulitatem ut omnibus miſereatur. Ergo quos prædeſtinavit hos vocavit, quos vocavit hos juſtificavit auferendo univerſa peccata: quos autem

Digitized by Google

juſtificavit, ipſos & magnificavit, id eſt filios Dei fecit. Quid ergo murmurantes eſtis ô Iudæi, prohibentes nos gentes adloqui? Si Deus pro nobis, quis contra nos? id eſt quid in nos mittitis manus, & in Apoſtolis Dei ſcandalum patimini? Si enim Deus filio ſuo non pepercit, ſed pro omnibus nobis tradidit eum. Nota tibi, Prædeſtinate, quid dicat, ſed pro omnibus tradidit eum. Dicendo pro omnibus tradidit eum, & Iudæis amputavit ſcandalum, & veſtram intentionem excluſit. Miror autem prudentiam veſtram ſic legiſſe locum iſtum, *quos prædeſtinavit hos vocavit*, ut ad unum verſiculum qui inante eſt timuiſſetis accedere. Quando enim veniſtis ad hunc locum, quaſi ſatis factum putantes intentioni veſtræ, noluiſtis inante ad verſiculum qui vos convincebat adſpicere, id eſt, *pro omnibus tradidit eum*: ſed clauſiſtis codicem, & cœpiſtis clamare, Non omnes vocat Deus ad gratiam ſuam, non omnes invitat. & dicentibus noſtris, Ergo non omnes vocat? vos reſpondiſtis, Non omnes vocat. Stupentes itaque noſtri atque anxiantes, eo quod audirent quod nullus unquam hæreticorum dixerat, interrogaverunt peritiam veſtram dicentes, Vnde probatis quia non omnes vocat Deus ad gratiam ſuam? Ipſe Deus non vult eos vocare? an vult & non poteſt? an non merentur? Si vult & non poteſt, blaſphematur impotens: ſi poteſt & non vult, videtur iniquus: ſi ipſi non merentur, ergo jam gratia non eſt gratia, & res meriti humani eſt vocatio, non gratiæ Dei. ſi autem gratiæ Dei eſt, & non
Rom. 3, 23. meriti hominis, omnes vocat: *Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei*, ut dicit Apoſtolus. & adje-
Ibid. 24. cit, *Iuſtificati itaque gratis in gratia ipſius in redemptionem qua eſt in Chriſto.* Ecce gratis, ecce & redem-

ptio.

tio. Audenter dico, ubi eſt præſumptio de merito humanitatis, non eſt gratia divinitatis. omnia enim quæ gratiæ Dei eſſe credimus, meritis noſtris adplicare non poſſumus. Ergo ſi gratiæ eſt & non meriti, quomodo vos dicitis aliquos non vocari, quia ſunt ejus vocatione indigni? Si enim nullus ex ſuo merito vocatur, ſed ex dono gratiæ Dei, & alius vocatur, alius recuſatur, perſonarum Deus blaſphematur acceptor. Arguuntur etiam Apoſtoli ejus falſi teſtes indicii. Nam beatus Apoſtolus Petrus clamat, *In veritate*, inquit, *comperi, quia non eſt perſonarum acceptio apud Deum:* & beatus Paulus, *Non eſt enim perſonarum acceptio apud Deum:* & iterum Dominus dicit de ſervis, *Eadem*, inquit, *facite illis remittentes minas, ſcientes quia & veſter & illorum Deus in cælis eſt, & non eſt apud illum perſonarum acceptio.* Si ergo ita eſt, immo quia ita eſt, unde probatis quia non omnes vocat ad gratiam ſuam? aut quem non vult ſalvare qui pro crucifigentibus orat? In hac hæreſe diabolus tyrannidis ſuæ furore graſſatur, ut lethali plaga pene univerſum vulneret mundum. Infert bellum creatura creatori, & dicit ipſum prædeſtinaſſe quod punit, ipſum ut fieret conſtituiſſe quod prohibuit. Quod quam ſit impium, quamque ſacrilegum, quamlibet imperitus agnoſcet. Omne enim peccatum tunc peccatum recte dicitur, cum & reatus delinquentis & æquitas judicantis oſtenditur. quia peccati ſupplicium præcedit ſemper meritum facti: reum autem nemo facit, niſi eum qui potuit declinare peccatum. Peccatum ergo inter prædeſtinantem & operantem diſcerne, ut illius factum malum hic, quaſi alienum à ſe, aut damnet, aut corrigat. A juſto autem Deo aliena ſunt univerſa quæ damnat. Vnde ſi prædeſtinatio in pec-

Act. 10. 34.
Rom. 2. 11.
Epheſ. 6. 9.

cantem oſtenditur, nihil juſto judici probatur debere peccator: quia cujus adſeritur prædeſtinatio, hujus etiam operatio comprobatur. Videtiſne obſecro, quam graviter blaſphemetur his adſertionibus Deus? Si enim prædeſtinationis ejus vis eouſque adducitur, ut ejus dicatur præordinatione peccatum, fructus malus non niſi ex impia radice procreatur. Erit ergo ſecundum Manichæum alius Deus malorum, alius bonorum: ut quæ bona ſunt bono adſcribantur, & quæ mala ſunt malo. ne videamur pejus Manichæis inclamare blaſphemium, cum unum eundemque Deum, quem bonum confitemur & juſtum, hunc prædeſtinaſſe omnia ſcelera æſtimemus. Recedant igitur vana argumenta verborum. Nihil habet commune prævaricatio delinquentis & prædeſtinatio ulciſcentis: quia peccatum in contemptu tranſgreſſoris eſt, ultio vero in judicis æquitate conſiſtit. Tollite itaque è duobus unum, aut judici prædeſtinationem ut probetis juſtum, aut alterum judicem futurum oſtendite. Nulla enim ratione conſtitutum ſuum poterit punire qui judicat: quia ſi malum prædeſtinationi dederis Dei, voluntati hominis dare non poteris. Aut enim accuſa reatum in homine, & tolle te à blaſphemio Dei: aut ſi prædeſtinationem à Deo aſſeris conſtitutam eſſe peccanti, reatum quidem peccatori tuliſti, ſed Deo crimen impingis. Certe peccatum certum eſt nihil aliud eſſe, quam prævaricationem hominis, & prædeſtinationem nihil aliud, niſi ordinationem Dei. Quomodo ergo tam diverſa ſibimet tamque contraria ad unam compaginem venire potuerunt, ut quod bonum Dei eſt malum hominis fiat, & delinquentis vitium dicatur præordinatio prohibentis? Illud autem cur

non

non conſideratis, qui prædeſtinatione Dei putatis homines conſentire peccatis? Omne certe peccatum vult & deſiderat diabolus fieri. & creditis quod prædeſtinationem ſuam Deus ad diaboli deſiderium, & ad hominis interitum poſuit, & voluit prædeſtinationem ſuam ſervire voluntati diabolicæ, ut ad libitus dæmonum homines, ante propriæ voluntatis meritum, reos jam addiceret inimico? Hactenus blaſphemias hujus loci detexiſſe ſufficiat. Pavido enim corde intolerabili tremore deficio. Octoginta & novem hæreſes in primo libello conſcripſimus. nullum ita hominibus ad crimina fræna laxaſſe conſpeximus: nullam ſic blaſphemias in Deum adſtruentem invenimus. Fateor, catholici confeſſores, creſcunt eis in hac defenſione blaſphemiæ. Peto itaque veſtræ fidei puritatem, ut dimicantem me veſtris precibus adjuvetis, contra hos agentem, quorum tota verba blaſphemiæ ſunt. Fateor inquam cariſſimi, univerſa mei corporis membra torpeſcunt, animus deficit, auditus intremuit, facies pallore diſtabuit, capillorum ſeges in vertice riget, mens intus cum ſuis conſiliis metu quaſſante adflicta eſt, lingua ipſa in ſuo atrio moveri non prævalet: quoniam contra eos loquimur, qui dicunt Deum diaboli voluntati ſervire. Iam enim, inquiunt, præ- “ 4.
deſtinavit Deus homines, ſive ad juſtitiam, ſive “
ad peccatum: & idcirco quod eos voluit eſſe qui “
condidit aliud eſſe non poſſunt. Cum interroga- “
veris eos, utquid tantum blaſphemiæ proferant,
dicunt quia dixit Apoſtolus, *Quos prædeſtinavit, hos* Rom. 8,
vocavit. Ideoque ajunt, quos ſemel Deus præ- 30.
deſtinavit ad vitam, etiamſi neglegant, etiamſi “ 5.
peccent, etiamſi nolint, ad vitam perducentur “
inviti: quos autem prædeſtinavit ad mortem, “

 eti- “

„ etiamſi currant, etiamſi feſtinent, ſine cauſa la-
„ borant. Quis non videat, quod hoc dicto tollatur ſollicitudo juſtis timendi ne corruant, & peccatoribus amputetur effectus ſperandi ne ſurgant? Evaſimus blaſphemias Dei, ad ruinas hominum venimus. Si enim ita eſt, ut unuſquiſque hoc ſit quod prædeſtinatus eſt, ceſſat lex, ceſſat ſacerdos, ceſſat devotio populi, clauditur aula confugii, evacuatur ſinus Eccleſiæ, nullus genu curvat Deo, nullus benedictionibus inclinat caput, clauduntur apices Dei, atque univerſa ſimul virtutum ſtudia evaneſcunt. Quantumvis enim, ajunt, qui-
„ cumque ſtudeat, & à Dei Eccleſia, & à Dei ſa-
„ cerdotibus, & à divinis ſtudiis non recedat, ſi
„ ſemel eum Deus prædeſtinavit ad mortem, ſalvus
„ eſſe non poterit. Iudas cotidie verbum vitæ au-
„ divit, cotidie adhæſit Domino, cotidie virtuti-
„ bus occupatus, cotidie ipſum Filium Dei moni-
„ torem audivit: & quia prædeſtinatus eſt ad mor-
„ tem, uno ictu ſubito interiit. Saulus cotidie per-
„ ſecutor, cotidie lapidator Chriſtianorum, cotidie
„ vaſtator Eccleſiarum: & quia prædeſtinatus eſt ad
„ vitam, uno ictu ſubito vas electionis eſt factus.
„ Quid ergo, inquiunt, tu qui in peccatis permanes,
„ expaveſcis? ſi te Deus dignabitur, ſanctus eris.
„ aut quid tu qui in ſanctitate vivis, ſollicitus red-
„ deris? ſi Deus noluerit, nunquam corrues. Vter-
„ que de Deo ſecuri eſtote. Numquid tu qui ſan-
„ ctus es, & ſollicitus es ne corruas, & die noctu-
„ que orationibus ades, occuparis jejuniis, & di-
„ vinis lectionibus diligenter inſiſtis, exhortationi-
„ bus vacas, atque omnibus ſanctis ſtudiis quotidie
„ immines, numquid tua voluntate ſalvus eris?
„ Numquid ſanctior eris Iuda, qui accepit poteſta-
„ tem infirmos curandi, dæmonia fugandi, mortuos
ſuſ-

ſuſcitandi, calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, "
collega Apoſtolorum, Chriſti diſcipulus, & ta- "
men quia prædeſtinatus eſt ad mortem, mortem "
æternam invenit? Ceſſa eſſe ſollicitus, & de Dei "
eſto voluntate ſecurus: quoniam ſi te dignatur "
Deus ut permaneas, ſanctus eris. At tu qui pec- "
cator es, diſce à Paulo Apoſtolo. Numquid tu "
aliquando pejora poteris committere quam ille "
commiſit? & tamen quia prædeſtinatus eſt ad "
Apoſtolatum, evaſit ſubito univerſa peccata, & "
ab inferioribus inferiorum ad ſuperna ſuperiorum "
aſcendit. Hic eſt omnis ſumma conſilii veſtri. "
hinc decipitis mundum, hinc penetratis domos, & captivatis mulierculas oneratas peccatis, quæ circumducuntur variis deſideriis, ſemper diſcentes, & nunquam ad ſcientiam Dei pervenientes. Iuvante itaque Domino, ſpiritus ille, qui falſorum ſenum adverſum Suſannam agentium ſcidit conſilia, hic ſpiritus nunc vos dividet adverſum immaculatam Dei Eccleſiam falſa tractantes. Et ſicut illi de ſua ſibi accuſatione inventi ſunt pleni fallaciis, ita vos ex veſtris vobis oppoſitionibus abſcedetis ſuperati. Ipſa itaque verba dicimus inter initia quæ ipſi dixiſtis: ſed aliter eorumdem verborum finem colligimus. Dicimus enim juſto, Certe Iudas Apoſtolus fuit, & à Chriſti veſtigiis non receſſit. ex ore ejus die noctuque conſilia ſalutis accepit, ſigna virtutum exercuit, & univerſa obtinuit Apoſtolatus inſignia, & tamen quia neglegens fuit, cecidit. Vigila ne corruas, eſto ſollicitus, quia adverſarius tuus ſicut leo rugiens circuit quærens ut tranſvoret. Hoc autem quod cecidit Iudas, non putes fuiſſe impietatis Dei: neque enim Deus illum voluit eſſe malignum. ſed quia fur erat, & loculos habebat, & erat

in corde ejus radix omnium malorum avaritia, ideo corruit miſer, & crepuit medius, qui tanta dona divina neglexit, qui medico præſente, vulnera ſua non ſolum non curare, ſed etiam augmentare ſtuduit. In peccato enim Iudæ vos ipſos judices petimus. Ita enim vos juvante Chriſto concludimus, ut vos ipſos ex veſtro judicio ſuperetis. In peccato Iudæ grande eſt ſacrilegium, incomparabile facinus, crimen immenſum. Dicite nobis, cui vultis hoc crimen adſcribi? Ipſi Iudæ traditori, an Deo prædeſtinatori? Si, quod dici pejus peccatum eſt, quam hoc quod Iudas exercuit, hoc peccatum Dei prædeſtinatoris eſſe probaveritis, fateor viciſtis. ſi autem ipſius Iudæ eſt traditoris, defenſio noſtra accepit palmam. non enim Deus ipſum talem vel prædeſtinavit, vel talem eſſe voluit. Defendamus ergo ſanctum & immaculatum à crimine Dominum. ne quem ille tradidit per avaritiam, nos per injuſtitiam accuſemus: & tollentes crimen Iudæ, Dominum vocemus in culpam. Si enim ideo talis extitit, quia talem illum Deus prædeſtinavit, non quia ipſe neglexit, ipſum quidem liberamus ab omni pondere criminis, & tollentes nos ab increpatione traditoris hominis, prædeſtinatoris Dei aſtutiam accuſamus. qui quaſi voluerit Apoſtolum fieri, ut eum ex Apoſtolo faceret traditorem: quem quaſi voluerit elevare ad cælos, ut eum ex alto jactaret: quem quaſi voluerit dæmonia ejicere, ut eum dæmonum traderet poteſtati. Quid moras innectimus? ante oculos veſtros utroſque habetis, ô noſtri temporis tractatores, ſervum & dominum, magiſtrum & diſcipulum, Deum bonum & hominem malum. unum accuſate quem vultis, & unum laudate quem vultis.

Digitized by Google

tis. Si Deum prædeſtinantem, Iudas immunis eſt: ſi Iudam tradentem, crimen ejus Deum prædeſtinaſſe docere minime poteritis, quia Dei prædeſtinatio bona eſt, Iudæ autem traditio mala. Bonus ergo rem bonam fecit, quia malum nunquam feciſſe credendus eſt. Et ſi prædeſtinatio Dei bona eſt, & Iudæ traditio peſſima, rei malæ Iudæ, & rei bonæ Dei, convenire non potuit. Impoſſibile eſt enim, tenebris & lumini, bono & malo, vitæ & morti, veritati & mendacio ſimul habere conſortium. Reddentes ergo Iudæ ſoli peccatum ſuum ex integro, & Deo honorem æquitatis ſuæ integerrimum exhibentes, nobis quoque reddite oſculum caritatis. Laboratis enim vano certamine, qui per Iudam omnes peccatores excuſatis atque defenditis, Dei autem juſtitiam accuſatis. Nunc veniamus ad magiſtrum bonum & vere beatiſſimum Paulum, & amota tergiverſationis inſania, quod verum & integrum negari non poteſt explicemus. Aliud eſt, zelo malitiæ perſequi aliquem innocentem, ſicut fecit Cain, aliud eſt zelo Dei perſequi, ſicut fecit Helias: nec ſolum perſecutus eſt, ſed etiam in conſpectu ſuo multum populum gladio juſſit occidi. Cain unum occidit, & æterna damnatione punitur: Helias multos occidit, & ad gloriam rapitur ſempiternam. Non ergo, ſicut vos putatis, Cain imitatus eſt Paulus: ſed zelo Dei ductus Heliam ſecutus eſt. Dicas forſitan, ùnde hoc probas? Lege ad Galatas eundem ſibi teſtimonium perhibentem, atque dicentem, *Perſequebar*, inquit, *Eccleſiam Dei*, Gal. 1, 14.
& expugnabam illam ſuper multos coætaneos meos in genere meo. abundantius, inquit, *æmulator exiſtens paternarum mearum traditionum*. Numquid non omnibus catholicis notum eſt, Deum Hebræorum

hunc eſſe patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti? Quem ergo defendebat? Patrem ſine dubio, quia ſacerdotes ſui ei dixerant, hunc non eſſe filium Dei quem crucifixerant. Credens itaque legi ſuæ, credens ſacerdotibus Dei vivi, accepit ab eis epiſtolas, ut pergens Damaſcum ad ſynagogas, vinctos adduceret Chriſtianos. Prudentiſſimus vir atque ſapientiſſimus, qui ſciebat ſe zelo Dei agere, ſine dubio videbatur ei quod inimicos Dei perſequeretur. Pro fide enim Dei, & pro veritate currebat. Non enim filium Dei eſſe Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum didicerat, ſed ſeductorem & deceptorem populi ſui, à magiſtris ſuis & à ſacerdotibus ſuis ut audierat, æſtimabat. Animum itaque Heliæ non Cain habens, erga novos cultores Dei fortiter inſiſtebat, & ignorans crimina pro virtutibus exercebat. Deus autem, cordis inſpector, & fidei contemplator, fecit eum miſericordiam invenire, quia ignorantiam ejus innocentia comprobabat. Vnde hoc probamus? Ipſe dicit ad Timotheum,
1 Tim. 33. *Fui*, inquit, *perſecutor & injurioſus: ſed miſericordiam conſecutus ſum, quia ignorans feci.* Vides ergo, quia ubi ignorantia eſt, invidia non eſt? A juſtitia enim Dei ignoranti doctrina traditur, ſcienti vero & contemnenti dictatur ſententia. Vnde per obſcurum ignorantiæ ambulans Paulus, putabat ſe inimicum Domini ſui perſequi. ardebat in perſecutione, quia placere Domino bonus famulus ſtudebat. Non quieſcebat, furebat, abundantius omnibus zelator exiſtens paternarum traditionum. Quorum patrum gerens zelum? ſine dubio Abrahæ, & Iſaac, & Iacob. & qui horum Deus? ſine dubio pater Domini noſtri Ieſu Chriſti. Ergo huic placere ſtudens,

pu-

Digitized by Google

putabat ſe ejus inſequi inimicum: paſſus obſcuritatem ſacerdotum ſuorum, quibus legis divinæ imperio fidem ſuam teſtimonium dantibus exhibebat. Omnibus notum eſt quid habeat obſcuritas. Numquid non ipſe uſus nos poterit edocere, obſcuritatis hanc eſſe naturam, ut notum & ignotum, parentem & extraneum, civem & barbarum, uno modo ante oculos adferat. qui niſi locutus fuerit, quis ille ſit penitus ſciri non poterit? Hic ergo, velut bonus cuſtos vineæ Domini ſabaoth domus Iſrael, velut bonus circitor, adprehenſo baculo, per noctem ignorantiæ circuiinibat, ut quoſcumque inveniret legentes vindemiam Domini, Heliæ animo devaſtaret. Servo itaque bono, pro domini ſui vinea vigilanti, ſervo zelo fidei perſequenti, ſervo Heliam imitanti, ſervo in tenebris ignorantiæ pro veritate certanti, ſervo cui ſe ſciebat dixiſſe ut pro veritate certaret uſque ad mortem, laboranti ergo, & in obſcuro fidei perſequenti, & neſcienti quod ipſe eſſet dominus ſuus, quem putabat inimicum domini ſui, ſuccurrit dicens, Quieſce, ego ſum dominus tuus. Modo tu ipſe judica de teipſo. Si introieris in vineam tuam nocte, numquid homo tuus, aut ſervus tuus, in obſcuro noctis dum te ſenſerit, & cœperit venire ut te comprehendat, dic mihi obſecro, veritatem profer ex ore tuo, dic mihi, numquid taces, & permittis te teneri ab eo, quem probas quia non zelo, non inimicitiis facientibus te perſequitur, ſed te defendens, dum te æſtimat furem, te ipſum pro te ipſo perſequitur? Huic tali ſervo & laus debetur & præmium. Denique, cum dixeris ei perſequenti te & volenti percutere, Ceſſa, ego ſum dominus tuus, ſtatim abjecto fuſte de manu ſua,

proſternens ſe pedibus tuis veniam poſtulat ignorantiæ. atque ex illa hora hoc faciet quod ei præceperis. Ita ergo tunc beatus Paulus, miſſus à ſacerdotibus Dei, jam meritis Apoſtolicis plenus, vas electionis erat, habens intra ſe ſpiritum Heliæ, perſequebatur, ut ei videbatur, inimicos legis Dei, & quem putabat eſſe furem vineæ domini ſui, ipſe erat Deus ſuus. Patiebatur enim noctem, cujus ei obſcurum fecerat incredulitas ſacerdotum. Iuſtus vero Dominus in hac ipſa ſibi perſecutione, quam ipſe patiebatur pro ſua juſtitia, complacebat, quia ipſe dederat legem, quam ille ſervabat. Non ergo quaſi perſonarum acceptor adprehendit nolentem & fecit volentem, adprehendit infidelem & fecit fidelem, adprehendit inimicum & fecit amicum, adprehendit malum & fecit bonum: ſed ſuum fidelem & pro ſe laborantem adloquitur, &
Act. 9, 4. dicit, *Quid me perſequeris?* At ille ipſa verba quæ ſolent in obſcuro dici ait, *Quis es Domine?* & Dominus, *Ego ſum Ieſus Nazarenus, quem tu perſequeris.* Statim credit, ſtatimque transfert ſe à ſynagoga ad Eccleſiam, non mutando dominum, ſed ipſum eſſe quem ſemper coluit agnoſcendo. Non ab alio Deo ad alterum Deum veniendo, ſed eumdem eſſe Deum quem ſemper coluerat, comprobando. Non ab infidelitate ad fidem veniendo, ſed ipſam fidem quam jure habuerat, poſſidendo. Iuſtus ergo Dominus ſervum ſuum cognovit, ſecundum quod ipſe Apoſtolus ad
2 Tim. 2, 59. Timotheum dicit: *Cognoſcit Dominus qui ſunt ejus.* His autem quos videt non veritatis defenſione, ſed vanæ gloriæ & cupiditate aliqua, ejus
Matth. 7, 23. ſe ſervos eſſe jactantes, clamat eis dicens, *Diſcedite à me, quia non novi vos.* Verum quid ſtamus in hoc

Digitized by Google

hoc loco, cum non ſolum has injurias Apoſtolo inrogetis, ut dicatis eum invitum tractum, cum ad unam vocem legatis eum de ſe dicentem, *Si nolens hoc ago, diſpenſatio mihi credita eſt: ſi autem volens hoc ago, mercedem accipio.* Excludite eum à mercede ſua, & dicite, Quia nolens hoc agis invitus tentus, invitus tractus, non tu curris. neque enim de curſu tuo proficis. eſto jam ſecurus. ſcias te etiam ſi volueris peccare non poſſe. Adhæc vobis ipſe reſpondet, *Ego ſic curro, non quaſi in incertum: ego quotidie feſtino, & ad bravium ſupernæ vocationis extendor. Et licet nihil mihi conſcius ſim, ſed tamen non in hoc juſtificatus ſum. Nolite errare, Deus non irridetur.* Ego enim, niſi in jejuniis multis inſtitero, & maceravero carnem meam, & ſervituti tradidero, ipſe reprobus efficiar. O magiſtrum bonum! ô ſapientem architectum, & bonorum omnium inſtructorem! Sic fabricat Eccleſiam qui vult exemplum ſalutis offerre. Non reſupinat animos in bono curſu ſatagentes, ut putent ſe ita ad Deum pervenire, ut ab animis ſuis tollant ſtudium placendi Deo, & dicant, Non ei placebimus de noſtro ſtudio, quid ſtudemus? non ei placebimus de noſtro curſu, quid currimus? non ei placebimus de noſtra voluntate, quid volumus? non ei placebimus de noſtra vigilantia, quid vigilamus? non ei placebimus de noſtra oratione, quid oramus? ſi prædeſtinati ſumus ad vitam, reprobi non erimus. Hoc excludens Petrus Apoſtolus clamat: *Vigilate, quia adverſarius veſter ſicut leo rugiens circuit aliquem veſtrum tranſvorare feſtinans.* & Apoſtolus Paulus, *Nolite conſentire operibus infructuoſis tenebrarum. magis autem & redarguite.* Nolite inquit conſentire. Vides conſenſum noſtrum quam cau-

1 Cor. 9, 17.
1 Cor. 9, 26.
Phil. 3, 14.
1 Cor. 4. 4.
Gal. 6, 7.
1 Petr. 5. 8.
Epheſ. 5. 11.

caute informat? Scit enim per conſenſum noſtrum unumquemque decipi, unumquemque ſalvari. Conſenſum autem dico, in quo conſentimus medico, qui nos gratis curare volens clamat ad nos

Mat. 11, 28. cotidie, *Venite ad me omnes qui laboratis & onerati eſtis, & ego vos requieſcere faciam.* Ideo audis vocantem, ut te exhibeas reſpondentem. Hic qui clamat ut omnes ad eum veniant, ignoravit doctrinam veſtram. Nam non diceret, venite ad me omnes: ſed diceret, veniant ad me qui ſunt prædeſtinati ad ſalutem, ut ſanentur: recedant à me qui ſunt prædeſtinati ad mortem, ut puniantur. Sed non ita eſt ut ipſi docetis. Homo enim, ſi conſenſum ſuum à vocatione Dei ſubtraxerit, perit. Medicus hic noſter gratis quidem curat, ſed imperat obſervantiam. Qui non fuerit ſalvatus, aut vocantem contempſit, aut invitantem renuit, aut ab his quæ ei abſtinere ſunt mandata neglexit. Hoc nos dicimus de medico perfecto. Vos quid dicitis? Dicite quod vultis. ſi laudatis medicum, & culpatis ægrotum, oſtenditis medici diligentiam, & neglegentiam ægrotantis. Non hoc dicitis, ſed hoc dicitis quod habetis in
„ fallaciæ veſtræ libello conſcriptum. Omnes quos
„ ſcit dignos ſalute redemptionis ſuæ Deus, hos ad
„ ſalutem prædeſtinavit: hos tantum ſalvat, quos
„ ſe ad ſalutem prædeſtinaſſe cognoſcit. Salus enim
„ Dei non voluntati hominis ſervit. Ipſe enim ſcit
„ cui quid faciat. Nec enim antecedit arbitrii li-
„ bertas gratiam Dei, ſed antecedit gratia Dei li-
„ bertatem arbitrii. Hæc veſtra ſcripta ſunt, veſtra ſunt dicta, veris falſa permixta. Reſpondemus ad ſingula. Si omnes quos ſcit dignos vocat, ergo omnes ad ſalutem prædeſtinavit, quia omnes quotidie vocare non ceſſat. Si hos tantum ſalvat,

quos

quos ſe prædeſtinaſſe cognoſcit, ergo omnes prædeſtinavit ad ſalutem, quia omnium dominus & ſalvator eſt. Si ſalus Dei non voluntati hominis obtemperat, ſed anticipat gratia Dei voluntatem hominis, oſtendite nobis quis nolens conſecutus ſit baptiſmatis ſacroſancta myſteria, & poſtea cœpit per gratiam velle quod noluit: aut quis unquam nolens egerit pœnitentiam, & poſteaquam reconciliatus eſt, ſic cœpit poſt indulgentiam pœnitere. Duæ iſtæ res ſunt ſalutis humanæ ſacrificium & confeſſio. Sed & voluntarie ſacrificamus Deo, & voluntarie confitemur. Sacrificium, quo ſanguine Chriſti redimimur, & lateris ejus unda perfundimur: confeſſio vero, qua confitentes errorem, iterum meremur veniam peccatorum. Ergo duas iſtas ſpecies, quas ſolas ſcimus humano generi poſſe ſuccurrere, quas dicit ſanctus Spiritus voluntarie fieri, videamus utrum, ut vos dicitis, ab homine exigantur invito, an à voluntario flagitentur obſequio. Si ab invito & à nolente, damus vobis manus, viciſtis: ſi à conſentiente, & à deſiderante atque volente, conſenſus veritatis dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Voluntarie enim ſacrificamus Deo, & confitemur nomini ejus, quoniam bonus eſt. Non ita eſt, inquiunt, “Vana eſt & infructuoſa voluntas hominis. vanum eſt “humanæ voluntatis arbitrium. Si ad comparatio-“nem divinæ gratiæ hoc diceretis, unum diceremus. Non enim humanam voluntatem divinæ gratiæ præponimus. Omnia enim quæ bona ſunt, non homini ſuperbienti, ſed Deo adſcribimus miſerenti. Non tamen hæc dicentes, hoc poſſumus dicere quod vos & dicitis & ſcribitis, Vana voluntas eſt hominis. Nos autem dicimus, Volun-

luntas hominis non eſt vana : quia ſi vana eſt, nec præmium conſequetur digna, nec ſupplicium meretur indigna. Sed ne tam hebetes ſitis, ut neglegendo, nec audiendo iſta quæ adſerimus cognoſcatis, Ite cum catechumenis, & cum pœnitentibus veſtris, ad omnium Eccleſiarum pontifices: & ſi videritis eos nolentibus gratiam baptiſmatis tradere, aut nolentibus pœnitentiæ imponere manum, ſciatis vos eſſe catholicos. Sin vero, nec baptiſmatis gratiam auſi ſunt tradere, niſi veram & integram exploraverint voluntatem : nec manum imponere pœnitenti, niſi confeſſionem voluntariam oſtendenti, quid inſaniæ veſtræ vanitate adtracti dicitis hoc loco, Antecedit gratia voluntatem? Major quidem eſt gratia Dei quam voluntas hominis : ſed prior eſt voluntas hoc loco quam gratia. Illa merito præcedit, hæc ordine. Scio hoc loco quas nebulas ſoleatis ignorantibus excitare & calumnioſo calliditatis ingenio in hac voce garrire. Ecce dicunt, Prior eſt voluntas quam gratia. Nos in his duobus locis dicimus priorem voluntatem quam gratiam, in baptiſmatis conſecutione, & in pœnitentiæ converſione. ut non veſtro conſilio ducti homines, incipiant declinare cor ſuum ad excuſandas excuſationes in peccatis, dum unus dicit, Si vult Deus, veniet ad me indulgentia peccatorum : & ſi voluerit me in numero gregis ſui addere Chriſtus, fiet. Huic dicimus, niſi volueris ex toto corde tuo credere, non ad te veniet indulgentia, neque gratia hæc ut gregis divini particeps fias. Item in peccatis permanentibus ſi dicatur, Pœnitentiam agite, adpropinquat regnum Dei : hi cum dixerint, Si Deus dignatur dare veniam peccatis, in poteſtate ejus eſt, his dicimus, Niſi volueritis ex toto

cor-

Digitized by Google

corde veſtro pœnitentiam agere, ad vos Dei indulgentia nunquam adtinget. In his ergo duabus cauſis dicimus, antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Hanc ipſam rurſus voluntatem hominis dicimus quo modo antecedit gratia Dei: quia non haberet hoc ipſum velle, niſi Vnigenitus nobis de cælo veniens, omnibus officinam ſuæ gratiæ reſeraſſet. Veniens enim pro omnibus hominibus paſſus eſt. Ergo hoc ordine præcedit gratia Dei voluntatem hominis. Quod ideo dicimus, ut duobus capitibus vos excludamus. Qui enim dicitis, Antecedit gratia voluntatem, bene ſonatis, ſed male percutitis. Ideo enim dicitis, Antecedit gratia voluntatem, ut homo nec incipiat velle bonum, ſed exſpectet ut trahatur, expectet ut nolens fiat bonus, & cum ſit malus dicat, Deus hoc vult, quia gratia ejus ad me non accedit. Nos in iſto loco, & vobis, & illi qui hoc dicit, occurrimus dicentes, Antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim dixit Dominus, Accipietis prius, & ſic petite, invenietis prius, & ſic quærite, aperietur vobis prius, & ſic pulſate: ſed dixit, *Petite, & dabitur vobis, quærite & invenietis, pulſate & aperietur vobis. Omnis enim qui petit accipit.* Dicendo *omnis*, generalem cauſam inſtituit, & prædeſtinationis ſuæ ſpecialitatem excluſit: & dicendo, *qui petit accipit*, priorem voluntatem hominis, quam donum gratiæ demonſtravit. Et tamen ſit prior voluntas hominis quam gratia, ſit & prior Dei gratia quam voluntas. Non enim nos ivimus ad ſanctum peccatores, ſed ad peccatores ſanctus advenit, nec nos rogavimus ut veniret, ſed non rogatus advenit, & ut aſcenderet ad Deum homo, Deus deſcendit ad hominem. exinanivit ſe ut nos repleret, humiliavit ſe Mat.7.7.

ut

ut nos exaltaret. pauper factus eſt, ut nos divites faceret: eſuriit panis vivus, ut nos reficeret: ſitiit fons perennis, ut nos aridos melliflui & æterni fontis unda perfunderet. Tentus eſt ut nos dimitteremur, ligatus eſt ut nos ſolveremur, venditus eſt ut nos redimeret. ſpineam coronam accepit in capite, ut ſpinas & tribulos primæ maledictionis eriperet: exſpoliatus eſt, ut nos veſtiret, in cruce ſuſpenſus eſt, ut nos à cruciatibus æternæ mortis auferret. Damnans de ligno crucis lignum concupiſcentiæ, pandit immaculatas manus pro manibus incontinenter extenſis. pro concupiſcentiæ guſtu eſca fellis accipitur, & mors vitæ pro vita mortis infertur. Nobis enim vicit, non ſibi. Semper enim ipſe victorioſiſſimus fuit, eſt, & futurus eſt. Sed quia nos omnes in Adam perdidimus vitam & paradiſum, per Chriſtum & paradiſum, & vitam æternam, & adoptionem filiorum Dei, & regnum conſequimur ſempiternum. Hoc loco eum, qui dicit antecedit voluntas hominis gratiam Dei, execramur vehementer, Sic tamen execramur, ut dicamus jam ex tempore paſſionis, & reſurrectionis, & in cælos aſcenſionis, quo jam gratia in mundo diffuſa eſt, & in gremio Eccleſiæ hæc dona omnia divinæ gratiæ conlocata, qui non cucurrerit ad iſta tanta dona Dei, & ipſe, non vadens ad Eccleſiam Dei, expectet ut ad ipſum veniat Eccleſia Dei, dicimus hunc inſanum. In hoc loco dicimus his & talibus, Gratia Dei, abſque perſonarum acceptione in gremio eſt conlocata Eccleſiæ. ſi quis eam voluerit quærere, invenit. ſi quis ad eam pulſaverit, aperietur ei. nolentibus autem, aut tepide volentibus, gratia divina non datur. ſecundum id quod Phi- Act. 8, 37.
lippus Apoſtolus dicit ſpadoni, *Si credis ex to-*

to

to corde tuo, licet ut baptizeris. Velle enim noſtrum non excluſit gratia, ſed incitavit, & dormientem quotidie excitat voluntatem. Iam ergo gratia poſita ſicut ſcriptum eſt, in medio terræ clamat, Venite. hîc ſermo Dei anticipat venientem: petite, hîc ſermo anticipat petiturum: quærite, hîc ſermo anticipat quæſiturum. pulſate, hîc ſermo anticipat pulſaturum. Si quæſierit homo, & invenerit, gratiæ Dei eſt: quia Deus invitavit ut quæreres, Deus fecit ut invenires. Si non quæſieris, nec invenies, hoc liberi arbitrii tui eſt. Tantam enim habes liberi arbitrii poteſtatem, ut & vocantem Dominum tuum contemnere prævaleres. Quicumque ergo ſalvatur, gratiæ Dei eſt, qui ut velles inſtituit: qui & per prophetas, & per ſe, & per Apoſtolos ſuos cotidie te invitat ut velis. ſi volueris & audieris, quæ bona ſunt terræ illius æterna ſuſcipies. Ergo & quod vis Dei eſt, & quod petis Dei eſt, & quod conſequeris Dei eſt, quia in hac parte anticipat gratia voluntatem. Neſcires enim quid velis, niſi te ipſe & per ſe, & per ſuos vocaret, & ut peteres, & qualiter peteres, edoceret. Si ita eſt, quid nunc faciemus de te qui non petis? Deus te noluit, aut tu noluiſti Deum? Deus te noluit bonum operari, aut tu noluiſti bonum operari? Deus te noluit eſſe juſtum, aut tu noluiſti eſſe juſtus? Ideo te interrogo, ô ſanctiſſime prædeſtinator, ut unum è duobus facias. Aut enim fateberis te vinci, aut Deum blaſphemare convinceris. Si enim permittis te vinci, dic nobiſcum, Homo noluit bonum, & ideo malus eſt, quia ſi voluerit petere, dabitur ei gratia Dei. Cum hoc dixeris, das manus fraternitati, & per reverentiam te deitati concilias. Si autem dixeris, ideo malus eſt, quia Deus hoc

voluit, non quia homo noluit, probaris blaſphemaſſe Deum, quem malum velle confirmas, & neceſſe erit ut blaſphemantem Deum anathematizet Eccleſia. Dicamus nunc quæ ſequuntur li-
„ bri veſtri falſa commenta. Errat qui ſe putat vo-
„ lendo bonum pervenire ad Chriſtum, cum ipſe
Ioan.6. 44. Chriſtus dicat, *Nemo venit ad me, niſi quem pater adtraxerit.* Qui melius à Chriſto ſapitis, dicite ſi
„ mentitus eſt Chriſtus, & ita demum adſerite nos
„ contra Chriſti regulam iſtam fixiſſe ſententiam.
„ Si enim verum dixit Chriſtus, non mentimur quod
„ dicimus prædeſtinatos trahi ad vitam, quia vita
„ ipſe eſt. Non eſt novum vocis ſono decipi poſſe ſtultos. Sic vanus Arrius, ſecutus vocis ſonum, dicit filio patrem ejus eſſe majorem. Et hoc dicit nobis, quod dicitis vos, Si ipſi filio creditis, ipſum audite. Dicit enim, *quia pater major me eſt.* Vocis ſonum qui adtendit, ſicut Arrianorum hæreſi, ſic prædeſtinatorum vanitati conjungitur. Quis enim neſciat, non poſſe venire ad filium, niſi quem pater adtraxerit? Tamen antequam loci iſtius occultum myſterium per nos Dominus manifeſtet, ſenſum veſtrum detegimus. Ideo enim dicitis hoc teſtimonium, ut nullus monita ſacerdotum ſtudioſa aure ſuſcipiat, nullus feſtinet ad matris Eccleſiæ gremium, & duorum teſtamentorum uberibus coaleſcat. omnes fugiant domum Dei, & quis ad quod voluerit vitium occupetur, expectans quando mittat manum pater de cælis, ut eum trahat invitum, & nolentem, atque contradicentem, & non conſentientem faciat electum & ſanctum. Hæc veſtra adſertio, veſtrumque deprehenditur dogma. Nos autem dicimus, quod quamvis quicumque ſanctus ſit, ille ſit Apoſtolus, ille ſit martyr, ille propheta ſit, ille ſit juſtus, vires

vires non habet proprias ut ad Chriſtum aſcen-
dat. Solus enim Dominus ſua virtute pro ſua
deitate aſcendit in cælos, & ſedet ab dexteram
patris. Quamvis ergo quiſque ſit ſanctus, quam-
vis amicus Dei ſit, non habet vires aſcendendi in
cælos. Et quia filius dicit patri, *Pater volo ut ubi* Ioan.17.
ſum, & iſti ſint mecum, explanans concordiam dei- 24.
tatis ait, *Nemo venit ad me*, id eſt virtute ſua ne-
mo poteſt venire ad me. Non eſt enim ſanctitati
hominis poſſibile aſcendendi ad me, ubi ſedeo
ad dexteram patris, niſi quem pater adtraxerit.
Vnde in unius perſona omnis cœtus ſanctorum
dicit Deo, *Tenuiſti manum dexteram meam, in volun-* Pſal. 72.
tate tua deduxiſti me, & cum gloria adſumpſiſti me. un- 24.
de & adjecit, *Quoniam qui ſe longe faciunt à te, peri-* Ibid. 27.
bunt. Non dixit, quos tu longe facis à te, ſed
qui ſe longe faciunt à te, peribunt, oſtendens non
de Dei execratione, ſed de elongatione hominis,
homini interitum evenire. Quid autem nunc di-
cat liber prædeſtinatus audite. Quod ſi adgravat ,, 10.
vos vis teſtimonii Euangelici, & non poteſtis ,,
adgravati pondere ſententiæ nobis dare reſpon- ,,
ſum, ſaltem Apoſtoli nobis explanate ſenten- ,,
tiam, qui dicit, *Non eſt volentis, neque currentis,* Rom.9.
ſed miſerentis eſt Dei. Nos & euangelicum teſtimo- 16.
nium veris adſertionibus declaravimus, & iſtam
beati Pauli ſententiam evidenti manifeſtamus in-
ſtinctu. Prius tamen veſtrum ſenſum detegimus,
ut cur à vobis uſurpentur ſancta teſtimonia dete-
ſtemur. Vultis enim ut nemo velit bonum, nemo
currat ad bonum, ſed dicat in corde ſuo, Quan-
tumcumque velim, quantumcumque curram,
nihil poterit prodeſſe volenti, nihil poterit pro-
deſſe currenti. Non eſt enim volentis, neque

currentis, ſed miſerentis eſt Dei. Nos autem adſerimus, neminem gratiam Dei conſequi, niſi qui ex fide cucurrerit. Quam dum fuerit conſecutus, Apoſtoli monitis prohibetur extolli. Non enim ſecundum curſum ſuum, & ſecundum voluntatem ſuam, accepit gratiam Dei. Curſus enim & voluntas ejus, quamvis in magno ſint, quamvis in amplo ſint, tamen menſuram habent, Dei autem gratia menſuram non habet. Et ideo, dum etiam ad coronam pervenerit juſtus, non permittitur in ſua corona extolli. Dicit enim Spiritus ſanctus, Qui coronat te, non in merito tuo, ſed in miſericordia ſua & miſeratione ſua. Vnde

1 Cor. 4. 7. & Apoſtolus, *Quid habes*, inquit, *quod non accepiſti? Quod ſi accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis?* Ergo curſum ſuum & voluntatem ſuam ad hoc extendit, ut acciperet à donante. donum autem pro gratia donantis ſupergreditur meritum laborantis. Sic eſt enim velle noſtrum inter nos & Deum, ſicut eſt inter mendicantem atque donantem. Ille itaque qui donat eleëmoſynam vult omnibus dare. ſi quidem hic noſter largitor gratiæ clamat quotidie, *Venite ad me omnes.* & iterum, *Petite & accipietis.* Verbi gratia, cucurrit quiſpiam egenus, & à donante accepit, acceptiſque divitiis cœpit eſſe locuples qui fuerat egenus & pauper, quid nunc dicturus eſt? Ego de labore meo dives ſum, quia volui, quia cucurri? Non hoc dicit, ſed dicit, Ego nihil pro merito voluntatis meæ, aut curſus mei, aliquid habere me certus ſum: ſed ejus eſt totum gratiæ qui donavit. Et hoc dicto po-

Rom. 9. 16. teſt dicere cum Apoſtolo vere, quia *non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Ecce diximus de iſto qui voluit, & cucurrit, quia tanta ſunt dona Dei, ut & curſum hominis & voluntatem ſuperent.

ſuperent. Curſus enim & ſtudium hominis, niſi inviſibilibus Dei adminiculis juvati fuerint, evaneſcunt. Nam & Apoſtolus certamen bonum certans, & curſum conſummans, & fidem ſervans, & jam tantummodo coronam expectans, dicit, *Gratia Dei ſum id quod ſum.* & iterum nobis 1 Cor.15
dicit, *Gratia ſalvi facti eſtis.* Magnus infelix eſt, qui 10. Epheſ.2.
putat donum Dei ſe merito ſuæ conſequi volun- 8.
tatis. Omne donum optimum deſurſum eſt à patre gloriæ. nihil vindicamus humanæ potentiæ, totum quicquid bonum eſt, Dei miſericordiæ applicamus. Sic tamen omnia bona dicimus Dei eſſe dona, ut omnia mala quæ agimus noſtræ neglegentiæ imputemus. Aliter enim veniam non meremur, niſi nos vere oſtendamus noſtra culpa peccaſſe, non præjudicio creatoris. Et ſicut diximus de bono, quia totum bonum quod fecerit, Dei eſt gratiæ: ita quicquid malum fecerit, ſuæ æſtimet neglegentiæ. Vnde clamat Spiritus ſanctus, *Si volueritis & audieritis me, bona terræ edetis: ſi* Eſa.1.1
autem nolueritis, gladius vos comedet. Os enim Domini locutum eſt hæc. Per occaſionem itaque boni teſtimonii, ſed mali interpretis, vos dicitis, Nolite velle, quia non eſt volentis: ſanctus Spiritus dicit, ſi volueritis. Vos dicitis, Nolite currere, quia non eſt currentis: ſanctus Spiritus dicit, Currite ut omnes comprehendatis. Dominus Ieſus Chriſtus clamat, *Currite cum lucem habetis, ne vos tenebræ* Ioan.12.
comprehendant. Dantes ergo vobis repudium, ſan- 35.
cto Spiritui adhæremus. *Melius eſt enim*, ut dicit A- Act.5.29
poſtolus Petrus, *obaudire magis Deo, quam hominibus.* Verum quid agimus? rurſus ad pejora veſtrorum creſcit dogma librorum, in quibus legitur, Quantumcumque ſtudii ſui vires ad ædificandum moveat humana voluntas, caſſo certamine nititur.

„ aut quid vigilantiam ſuam putat hominis fragili-
„ tas æternis deſideriis profuturam, cum propheta
„ evidentibus exclamet documentis, dicens, *Niſi*
Pſal. 126 *Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt*
1. *qui ædificant eam. Niſi Dominus cuſtodierit civitatem,*
„ *in vanum vigilaverunt qui cuſtodiunt eam?* Quid eſt
„ quod contra divinos apices, & contra conſcien-
„ tiam ſuam ſperat ſe quiſpiam ædificationi ſtude-
„ re, cum his ſacris vocibus doceatur ædificatio
„ hominis non eſſe certa, ſed vana? Primo omnium quæro, quam ædificationem dicatis. Si de cæmentis & luto agitis, cum Ægyptiis iſta tractate. Nos autem hoc loco ædificationem verbi Dei intellegimus. Verbum autem Dei in toto orbe terrarum à Dei ſacerdotibus ad ædificationem Dei Eccleſiis exhibetur. Vanus eſt ergo ſermo pontificis? inanis doctrina? inane ſtudium? Et ſi vana eſt ædificatio hujus operis, ut quid ab Apoſtolo imperatur? Dicit enim Paulus Apo-
1 Theſſ. ſtolus, *Ædificate alterutrum, omnia veſtra ad ædifi-*
5. 11. *cationem fiant.* & iterum, *ut ſapiens architectus fun-*
1 Cor. 14 26. *damentum poſui. ſi quis ſuperædificat ſupra fundamen-*
1 Cor. 3. *tum hoc aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, fœ-*
10. & 12. *num, ſtipulam, uniuſcujuſque opus quale ſit, ignis proba-*
Matth. 7. *bit.* Et Dominus in Euangelio laudat virum ſa-
24. pientem, quia ædificat domum ſuam ſuper petram, quæ nec ventorum, nec fluminum dejiciatur impulſu. Ergone in vanum ædificant ſacerdotes Eccleſiam? in vanum vigilant, ut ovium ſimplicitatem luporum morſibus tollant? Et quomodo omnes hæreticos æterno anathemate ferientes gregem Chriſti cuſtodiunt? Vbique catholicorum paſcuntur oves, & vernantibus puræ fidei paſcuis, montes exultant ut arietes, & colles velut agni ovium. Vbique à ſolis ortu uſque

uſque ad occaſum, unus grex & unus eſt paſtor, à quo lupi interficiuntur, ne noceant gregi Dei: & adhuc non videtis ædificationem bonæ voluntatis vanam non eſſe ſed certam? Cotidie ædificatur domus Dei per verbum bonum, per exemplum ſanctum, per ſtudium optimum. Cotidie clamat per prophetam Dominus, *Ædificate vobis domos*, non luteas quæ à vento moveantur, ſed quæ maneant in ſoliditatem petræ. Sed vobis iſta omnia quæ diximus inania videntur & vana. Dicunt enim libri veſtri, Ædificatio hominis non eſt certa, ſed vana. Ab initio omnes ſancti ædificationem mentibus contulerunt. Verbi cauſa, Primus Abel ædificavit juſtitiam, Noë innocentiam, Abraham fidem, Iſaac ſacrificium, Iacob ambitionem rerum ſanctarum, Ioſeph caſtimoniam, Moyſes ſacerdotium, Ieſus filius Nave conſtantiam animi, David defenſionem populi Dei, Salomon ſapientiam, Ioannes pœnitentiam. Hos carptim de multis memoravimus, ut per hos ceteros, quos ſiluimus, ad memoriam ſuam revocans lector, inquirat utrumnam homines fuerint. Si homines fuerunt, quomodo dicunt libri eorum, Ædificatio hominis non eſt certa, ſed vana? Vnde agimus nunc concluſionibus catholicis dictum hæreticorum. Aut non fuerunt homines, quia manet ædificatio eorum: aut illi homines fuerunt, & iſtorum adſertio evanuit. Sed ſi contra nos venitis, inquiunt, non contra nos venitis, ſed contra eum qui dixit, *Niſi Dominus ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui ædificant eam.* &, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, in vanum laboraverunt qui cuſtodiunt eam.* Ergo neſciit, quia non erat utile populo Dei qui hæc fecit ſcribi,

Hier. 29. 5.

„ „ „ 12. „ Pſal. 126 1. „ „ „ „

„ & ad poſteros uſque ad finem ſæculi dirigi? Vos
„ itaque, qui iſta reprehenditis, auferte hæc de libro
„ pſalmorum, quia legentes & pſallentes hos verſi-
„ culos, ut dicitis, ædificari non poſſunt. Nos di-
ctum prophetæ laudamus, probamus, confitemur, confirmamus, & pſallimus, atque hoc ordine ſecundum regulam catholicam explanamus. Ab initio, ut diximus, à ſancto Abele juſto uſque ad Zachariam & Ioannem, omnes ædificaverunt domum, non cæmentis, ut diximus, ſed ſanctis exemplis. Verum tamen niſi Dominus Ieſus Chriſtus veniſſet, & ipſe ædificaſſet domum hanc, in qua illi laboraverunt, in vanum laboraverant qui ædificaverant eam. Nam & vigilanter inſtiterunt gregi. ſed niſi Dominus Ieſus Chriſtus ſuam cuſtodiam exhibuiſſet, in vanum laboraverant cu-
Ibid. 2. ſtodientes eum. Vnde etiam ſequitur, *In vanum eſt vobis ante lucem ſurgere.* Lux enim Chriſtus eſſe & à Prophetis, & ab Euangeliſtis, & ab Apoſtolis declaratur. Prophetæ ergo omnes ante lucem ſurrexerunt, id eſt ante nativitatem Chriſti. His in vanum fuit ante lucem ſurgere. non enim potuerunt noctem patientibus veritatem oſtendere. Sed venit lux, & manifeſtavit occulta tenebrarum: & tunc demum laus cœpit eſſe unicuique à Deo. Niſi ergo ipſe veniſſet & ædificaſſet domum, in vanum laboraverant ædificantes eam. Nunc ergo quia venit & ædificavit domum, jam non in vanum laborant qui ædificant eam. Et quia venit ut cuſtodiat civitatem, jam non in vanum vigilant qui cuſtodiunt eam. Et quia lux venit, & lucet in tenebris, jam non in vanum ante lucem ſurgimus. Et quia panis lætitiæ de cælo deſcendit, jam non manducamus panem doloris. Hic enim ſequitur in pſalmo verſiculus, Vos, inquit, in va-

Digitized by Google

in vanum ante lucem ſurgitis, qui manducatis pa-
nem doloris. Nos autem, qui non manducamus
panem doloris, ſed panem ſalutis, ædificemus
domum noſtram ſuper petram, & vigilemus ex-
pectantes Dominum, quia neſcimus diem neque
horam. Beatus ille ſervus, quem dum venerit
Dominus, invenerit vigilantem. Si videtur, ac-
cedamus ad reliqua. Sed quid putant iſti ſe vo- „ 13.
luntate ſua ad fructum ædificationis adtingere, „
cum nec ipſe vas electionis ſuam adſerat volun- „
tatem implere potuiſſe? Dicit enim de ſe ipſe „
Apoſtolus, *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo* Rom. 7.
malum illud facio. Si ergo Apoſtolus quod vult bo- 19.
num implere non prævalet, quomodo iſti dicunt "
per voluntatem ſuam ad fructum ſe poſſe gratiæ "
pervenire? Nunquam feſtinat ad veniam qui lon- "
gum vult eſſe quod peccat. Da veniam magi-
ſter Gentium quæſumus, ne nos participes inju-
riarum tuarum eſſe permittas. Videamus ergo
quid volebat Apoſtolus, & facere non valebat, &
quid eſt quod cogebatur facere quod nolebat.
Volebat verum loqui, mentiri autem penitus non
volebat. ergo mentiebatur. Volebat pudicitiam,
impudicitiam perhorrebat. ergo polluebatur. Vo-
lebat contemptum mundi, execrabatur omnem
gloriam ſæculi. ergo cenodoxus, id eſt inanis glo-
riæ cupidus exiſtebat. Poſtremo volebat omne
bonum, omne autem quod eſt malum omnimodis
exhorrebat. nihil ergo bonum quod volebat A-
poſtolus operabatur, ſed omne quod eſt nequiſſi-
mum perpetrabat. Dicitis enim, Dicit de ſeipſo
Apoſtolus, *Non quod volo bonum hoc ago, ſed malum* Rom. 7.
quod nolo illud facio. Videtiſne obſecro, in qua 19.
blaſphemiarum fovea cæcus ſenſus veſter vos
præcipites dederit? Apoſtolum criminibus occu-

patum fuiſſe vultis oſtendere, ut nemo ſe peccatorem eſſe ſuſpiret, nemo imi cordis gemitum pro ſuis ſceleribus reddat, nec ſtudeat quiſpiam flentibus lavare oculis quod concupiſcentibus inquinavit, cum audiat illum vas electionis, illum magiſtrum omnium Eccleſiarum, non bonum quod voluiſſe ſe memorat, ſed malum, quod noluiſſe ſe adſerit, perpetraſſe. Aperuiſtis portas, non juſtitiæ, ſed iniquitatis omnibus hominibus, & ex verbis Apoſtoli contra Apoſtolum bella ſumpſiſtis, volentes eſſe magiſtri, cum nunquam fuiſſe vos diſcipulos oſtendatis, & ſonum litteræ adtendentes ipſi vobis ſubito cœpiſtis eſſe doctores. Quid nunc facimus, qui veſtras blaſphemias non duramus? Si tacuerimus, vos videmini recte dixiſſe, nec ſolum dixiſſe, ſed etiam ſcripſiſſe. Loquimur juvante Domino, fugientes gloriam hominum, neſcios docentes, ſtudioſos inſtruentes, ſcientes lætificantes, vos detegentes. Scriptura libri veſtri eſt, quæ quod pejus eſt vobis morientibus illa non moritur, & ad evertendos incautos tanquam cancer ſerpit. Videamus quid ſequatur liber à veſtra vanitate conſcriptus.
14. „ Apoſtoli verba ſunt, noſtrum nihil adjungimus.
Rom. 7. 19. Ipſe de ſe dicit, *Non quod volo bonum hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio.* Arrius in tertio libro ſuo
„ epigramma hujuſmodi poſuit, dicens, Nos verba filii Dei accepimus, & vera credimus, vera etiam confitemur. Ipſe dicit, Pater major me eſt, &, Ego & pater unum ſumus, quia ego in patre, & pater in me. Noluit legere. jungere enim potuit duo iſta. id eſt, *Pater major me eſt, & Ego & pater unum ſumus.* & dum iſta duo junxiſſet, invenerat filium hominis & filium Dei. Omnia enim paſſibilitatis genera, à deitate ſublata, ſoli filio hominis poterunt con-

convenire. Deus enim nec minor, nec major eſt: ſed hoc eſt quod eſt idem ſemper, carens incremento, carens detrimento. Nunquam augmentando proficit, nunquam deficit minuendo: ſed ante omnia idem qui poſt omnia, & in omnibus præteritis, præſentibus, & futuris immutabilis perſeverat. Hæc quaſi in alio opere dicta ſint. Memoravimus enim anathemabilem Arrium in tertii libri ſui capite hoc dixiſſe; ordine quo Prædeſtinati dixerunt, Apoſtoli verba ſunt, noſtrum nihil addidimus. ipſe dicit de ſe, *Non quod volo bonum hoc ago,* Rom.7.
ſed quod odi malum hoc facio. Veſtram nunc interro- 19.
gamus prudentiam. Apoſtolum legimus dixiſſe,
Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Chriſtus: Gal.2.20
quod autem nunc in carne vivo, in fide vivo Deo. Quid nunc dicitis? Carnalis erat vir iſte, an ſpiritalis? Si dixeritis carnalis, convincemini. clamat enim, Vivo jam non ego, vivit vero in me Chriſtus. Si conſenſeritis quod ſpiritalis fuerit, nobiſcum iſtum locum explanabitis. Caput enim loci hujus in hoc ſermone reperies quod infit, *Scimus* Rom.7.
quod lex ſpiritalis eſt, ego autem carnalis ſum. Si car- 14.
nalis es, beate Apoſtole, quomodo arguis carnales, dicens, *Et ego, fratres, non potui vobis loqui quaſi* 1 Cor.3.
ſpiritalibus, ſed quaſi carnalibus. & iterum, *Cum di-* 1.
catur, inquit, *in vobis zelus & contentio, nonne carna-* Ibid. 3.
les eſtis? & iterum, *Quotquot,* inquit, *ſpiritales ſumus, hæc ſapimus.* Docemur autem ſcriptis tuis, vir Dei, quod non ſolum ipſe ſpiritalis fueris, & in terra poſitus jure diceres converſationem tuam eſſe in cælis: verum etiam hoc docemur, quod & diſcipuli tui ſpiritales fuerint. Ais enim ad eos,
Si præventus quis fuerit in aliquo delicto, vos qui ſpirita- Gal. 6.1.
les eſtis corripite hujuſmodi in ſpiritu manſuetudinis.
Quid ergo nunc nobis dicis, *Scimus quia lex ſpi-* Rom.7.
ritalis 14.

ritalis eſt, ego autem carnalis ſum? Ad hæc ipſe nobis dignabitur dare reſponſum, *Factus ſum carnalibus quaſi carnalis, ut eos qui carnales erant lucrifacerem.* Aperuit ſe nobis veritas, & fallacia eſt à veritate excluſa. Perſonam itaque carnalis hominis in ſe magiſter ſpiritalis excepit. Et ne quaſi injurioſus doctor à ſe repelleret auditorem, ſe increpat ut alium corrigat. Vnde hoc ipſum alibi com-
2 Cor.11 memorat, dicens, *Aut numquid peccatum feci me hu-*
7. *milians, ut vos exaltemini?* Quid ergo? *Ego,* inquit,
Rom.7. 14. *carnalis ſum.* qui tu? *ego,* inquit, *qui venundatus ſum ſub peccato.* Numquid tu, Apoſtole, venundatus es ſub peccato, qui olim Chriſti ſanguine redemptus, innumerabilem per Chriſtum Deo populum redemiſti? Conſtat ergo, quod non ſuam Apoſtolus, ſed alterius, id eſt carnalis viri, voluit hoc loco declarare perſonam. Ille eſt venundatus ſub peccato, qui adhuc Chriſti ſanguine redemptus non eſt. qui adhuc carnalis. & ideo dicitur, quod operor non intellego. Non enim intellegit operationem ſuam gentilis contra ſalutem ſuam eſſe. qui licet ſit gentilis, bonum ſibi vult provenire, bonum adipiſci, bonum poſſidere, bonum adquirere, bonum ſalutis ſuæ, bonum vitæ ſuæ: ſed quod non vult bonum hoc exercet, ſed quod odit malum hoc facit. Odit mortem, ſed opera mortis exercet: odit periculum, ſed operatio ejus plena eſt periculo: odit omnia mala, ſed quæ odit hæc
Rom.7. operatur. Quare? quia *non habitat in carne mea,*
18. inquit, *bonum.* id eſt non habitat in me Deus verus. Nam velle adjacet mihi, Deum verum me velle certum eſt: ſed hoc quod volo non invenio. Occurrunt enim mihi homini carnali, homini venundato ſub peccato, homini qui quod operor non intellego, homini qui non quod volo bonum hoc

hoc ago, ſed quod nolo malum illud facio, homini in cujus carne non habitat bonum. Occurrunt mihi iſta omnia, ut perficere bonum non inveniam. Condelector tamen legi Dei ſecundum interiorem hominem. id eſt interior homo meus, in quo eſt intellectus meus, condelectatur legi Dei, quæ dicit unum & inviſibilem Deum debere adorari. Quamvis enim carnalis ſim, ſcio lignum & lapidem Deum eſſe non poſſe: ſed video aliam legem contra ſenſum meum repugnantem legi mentis meæ, quæ dicit & probat hos Deos eſſe non poſſe. repugnat tamen lex hæc carnalis legi mentis meæ, captivum me ducit in lege peccati. quæ lex non eſt in mente mea, ſed in membris meis. Corpore enim ducor, ubi animo non conſentio. *Infelix ego homo!* Non hoc de ſe dicit Paulus. Non enim erat infelix, ſed beatus & ſanctus eſt. *Infelix*, inquit, *ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? gratia Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.* Veniet ergo gratia baptiſmatis ſacri, & carnalem hunc faciet ſpiritalem, & venundatum ſub peccato redimet à peccato. & jam non dicit, quod operor non intellego. Non enim quod odit malum hoc agit, ſed quod vult bonum hoc faciet. Scit enim quoniam jam habitat in carne ejus bonum, id eſt Spiritus ſanctus, per quem & velle ei adjacet,& perficere inveniet pro ſua bona voluntate. Iamque ſecurus eſt, & condelectatur legi Dei ſecundum interiorem hominem: quia non videt aliam legem in membris ſuis. Solam enim legem Chriſti in ſe habet. quæ non repugnat legi mentis ejus, & non eum ducit captivum in lege peccati, ſed liberum eum ducit ad vitam æternam. Et jam non infelix homo, ſed felix ego homo, quia hæc omnia mala evaſi,

Rom. 7. 24.

& hæc

Digitized by Google

& hæc omnia bona inveni. Quis autem hoc mihi præſtitit, ſi requiris, Gratia Dei per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Et ne remaneret expoſitionis hujus ambiguitas, qua putaretur Apoſtolus de ſe iſta dixiſſe, ponit verba increpativo
Rom.7. 25. modo legenda, quibus ait: *Igitur ipſe ego mente*
ſervio legi Dei, carne autem legi peccati. Rom.8. 1. *Nihil ergo damnation s eſt in Chriſto Ieſu his qui ſecundum carnem ambulant.* Hoc eſt, ſi ego, qui ſum Apoſtolus, carnalis exiſtimor, nihil habebunt damnationis hi qui
Ibid.2. carnaliter vivunt. & adjecit, *Lex autem ſpiritus & vitæ liberavit te à lege peccati & mortis.* Vnde & in
Rom.6. 20. alio loco dicit, *Cum ſervi eſſetis peccati, liberi fuiſtis juſtitiæ. Nunc autem liberati à peccato ſervi facti eſtis Dei.* Deus autem in eo de ſervitiis omnium gloriatur: quia ſervitia quæ habet nullis poterunt ſervitiis comparari. Vniverſa enim ſervitia coactiva noſcuntur: Dei autem ſervitia, niſi voluntaria fuerint, ſtare non poſſunt, ſecundum hoc
Pſal.27. 7. quod ſcriptum eſt, *Pater neminem trahit invitum.* Vnde propheta plenus Spiritu ſancto clamat,
Pſal. 53. 8. *Ex voluntate mea confitebor Domino.* & iterum, *Voluntarie ſacrificabo tibi.* Sed his omnibus contrarii librum nobis proferunt cæcis ambagibus circumdatum, & quaſi neſcium ſui, iterum eadem repetentem
„ atque dicentem, Non vocantur niſi prædeſtinati.
„ antecedit enim gratia Dei voluntatem hominis.
„ prior eſt enim Deus in bono hominis: homo au-
„ tem in omni bono vix noviſſimus invenitur. Date
„ primas partes Deo, ut ſuperbiam evacuetis hu-
„ manam. Quod ſi volueritis ſuperbiam nutrire ho-
„ minibus, apparet vos ruinam generis humani per-
„ quirere, qui docetis in bono opere non Deum an-
„ tecedere, ſed hominis voluntatem. ut ipſi videan-
„ tur magis Deum ut bonum faciat ſuis ſuggeſtio-

nibus

Digitized by Google

nibus admonere , quaſi qui non faceret bonum, „
niſi ipſi dixiſſent, cum conſtet Deum nullo ſugge- „
rente, nullo rogante,bona omnia hominibus con- „
donare. Non enim dixit Apoſtolus, cum rogare- „
mus , & peteremus , & curreremus , & vigilare- „
mus , ſed *cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo.* Rom.5.
non per voluntatem noſtram , ſed *per mortem filii* 10.
ejus. Vbi eſt voluntas hominis ? excluſa eſt. Non „
ergo omnis qui vult ſalvatur , quia ſi omnis qui „
vellet ſalvaretur,nullus poterat à ſalute effici alie- „
nus. Omnis itaque homo ſalvari vult , ſed non „
omnis ſalvatur homo. Salvatur enim is quem vo- „
luerit Deus. Vtique , inquam , is quem voluerit „
Deus. ut excluſa hominis voluntate ſuam plenam „
ex integro gratiam manifeſtet. Beatos dico prio- „
res noſtros , qui tantum facinoris uſum minime
cognoverunt. Quis unquam ſuſpicaretur de rebus
bonis contra bonitatem agendum, & contra juſti-
tiam armis juſtitiæ dimicandum ? Non vocantur,
inquit , niſi Prædeſtinati. Et nos vobiſcum dici-
mus , Non vocantur niſi Prædeſtinati. Nam qui
omnes gentes juſſit diſcipulis ſuis ut vocarent, di-
cens, *Euntes baptizate omnes gentes* , omnes ipſe ante Matt.28.
adventum ſuum prædeſtinavit. Omnes ergo gen- 3.
tes prædeſtinavit ad vitam,quia omnes gentes vo-
cavit ad vitam. Qui venerit , imputabit divinæ
clementiæ prædeſtinanti pariter & vocanti:qui au-
tem non venerit , imputet ſuæ negligentiæ con-
temnenti pariter & nolenti. Non eſt enim divinæ
prædeſtinationis ut hominis perditio fieret : nec
voluntas Dei eſt quando diaboli voluntas imple-
tur. Inimicæ enim ſibi ſunt iſtæ & contrariæ vo-
luntates,& non poteſt una fieri abſque contemptu
alterius. Quod ſi non vocantur aliqui ad vitam,in
illis qui non vocantur diaboli voluntas impletur.
Et

Digitized by Google

Et miror qua fronte ejus intretis Eccleſiam, quem dicere non timetis diaboli voluntati ſubjectum. Diaboli enim voluntatem implere probatur, qui non vult omnes homines pertingere ad ſalutem. Sicut enim in his quos vult ſalvare, ſuam creditur voluntatem implere: ſic in iſtis quos non vult, diaboli voluntas impletur. Sed bonus Deus bonos eſſe vult omnes. & hinc errorem patimini, quia omnes quos bonos eſſe vult boni non ſunt. Soletis enim dicere, Qui non ſunt boni, Deo eos à ſe repellente mali ſunt: ut hi qui peccant videantur non ſuo vitio eſſe peccantes. Si ergo hinc errorem patimini, quod Dei voluntas non impleatur, cur non magis hinc judicium detis peccantibus, quo laudetur Deus de ſuæ patientia pietatis, & culpetur homo de impatientia pro-

16\. „ priæ voluntatis? Dicitis enim, Ergo homo vincit
„ Deum. Vincit enim Deum, ſi Deus eum vult eſſe
„ bonum, & bonus non eſt. Quid ergo hoc loco adtenditis vos? Numquid luctantem videtis Deum & hominem, ut iſta dicatis? Si luctantem videretis, recte uni parti victoriam traderetis. Nunc autem, quia medici normam tenens Salvator hominum, dat monita, non ſuæ utilitati neceſſaria, ſed noſtræ ſaluti utilia, quædam fieri jubet ut vitam obtineas, quædam prohibet fieri ut mortem evadas: ſi audieris, imputabis Salvatori quod vives, ſi contempſeris, tuæ reputabis ignaviæ, dum cœperis mortis ſentire tormenta. Quod ſi tu dicas mortem ægroti medici imperitia eveniſſe, nos docemus medicum ex omni parte perfectum. Si autem dixeris, ejus voluntate mortis interitum devolutum, ipſe tibi exclamat, dicens,

Ezech. 33.11. *Nolo mortem peccatoris.* Quem ſi interrogare merearis, & dicas, Si hoc non vis, oſtende quid velis,

reſpon-

reſpondebit, Volo ut convertatur & vivat. Vnde facimus & nos clauſulam catholicam veſtris aſtutiis obviantem. Si poteſt homo Deo nolente delinquere, quanto magis poteſt Deo volente delictis finem imponere? Si poteſt homo velle quod Deus non vult, quanto magis poteſt homo velle quod Deus vult? ſi poteſt homo Deo nolente perire, quanto magis poteſt Deo volente ſalvari? Si potuit homo Deo nolente implere voluntatem diaboli, quanto magis poteſt Deo volente implere voluntatem Dei? Si potuit homo prædeſtinationem Dei ſua averſatione contemnere, quanto magis poteſt prædeſtinationem Dei ſua converſione complere? Dixit itaque Deus, Hoc nolo, illud volo. id eſt, dixit, nolo mortem morientis, volo ut convertatur & vivat. Quod dixit volo, hoc prædeſtinavit, nihil enim prædeſtinavit invitus: quod dixit nolo, deſtituit. Si poteſt homo velle & facere quod Deus non vult, quanto magis poteſt & velle & facere quod Deus vult? De perditione hîc agitur hominis, & ſalute. Deus vult ut ſalvemur, diabolus vult ut pereamus. Si poteſt fieri perditio hominis, quam vult diabolus, per noſtram neglegentiam: quanto magis poteſt fieri liberatio hominis, quam vult Deus, per diligentiam bonæ & fideliſſimæ voluntatis? Sed dicit liber veſter, „ Antecedit gratia Dei volunta- „ 17.
tem hominis. Nos dicimus, „ Non ſolum antecedit, ſed etiam ſequitur Dei gratia hominis voluntatem. Prius tamen quam oſtendamus quomodo antecedat & quomodo ſequatur, vos exponimus quid velitis oſtendere. Dicitis itaque, antecedit gratia Dei hominis voluntatem, ut dum audierit homo tam dignam, tamque veram ſententiam, illud quod ſequitur non adtendat, ſed vobis ex-

ponentibus diſcatur ut ceſſet voluntas hominis: ne dum cœperit, velle Deum excitare videatur in zelum. expectet ut prius gratia veniat quæ nolentem trahat, quæ cogat faſtidientem; quæ teneat fugientem. Volutetur homo in cœno, efficiatur fex cloacarum, & criminum gurgitibus dimergatur, & ſit ſecurus ex vitio. Si enim venerit gratia antecedens, erit homo recedens à crimine. Non enim prior erit homo Dei gratiæ, ſed gratia Dei prior erit hominis voluntati. Deteximus hoc veſtrum ſtudium. Nunc contra hoc quid catholici teneamus, neceſſe eſt ut juſtis adſertionibus demonſtremus. Memores eſtote quia vobiſcum dicimus, Antecedit gratia Dei hominis voluntatem. Diximus itaque, Et antecedit & ſequitur. antecedit, quia non petentibus, non rogantibus, non etiam volentibus nobis, venit filius Dei univerſum mundum à morte eripere, & ut aſcenderet ad Deum homo, ſicut jam diximus, Deus deſcendit ad hominem. Venit invitare eſurientes ad epulas, ſitientes ad fontem, miſeros ad fortitudinem, mendicos ad divitias, triſtes ad lætitiam, venditos ad redemptionem, ſervos ad libertatem, captivos ad requiem. Ecce hoc loco docemus quod antecedit gratia Dei voluntatem hominis. Nunc videamus quomodo iterum ipſa ſequatur quæ anteceſſerat ſubſequendo. Gratia enim quæ anteceſſit, oſtendit quid petas, quem petas, & qualiter petas: oſtendit quid quæras, qualiter quæras, ubi quæras: oſtendit quid pulſes, ubi pulſes, qualiter pulſes, & ab hac indagine nullum excluſit. Non ſolum nullum excluſit, ſed etiam cunctos u-
Matth.7. niverſaliter invitavit, dicens, *Omnis enim qui petit*
7. *accipit, & qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* & ite-
Ibid.9. rum dixit, *Numquid filius ſi petit panem patrem ſuum,*

lapidem

lapidem porrigit ei? aut ſi piſcem petierit, numquid ſerpentem porriget ei? Si ergo vos, cum ſitis mali, noſtis bona data dare filiis veſtris, quanto magis pater veſter qui in cælis eſt, dabit bona petentibus ſe? Petentibus utique. Sicut ergo tecum dixi in ſuperiori loco, quia antecedit gratia Dei voluntatem hominis: ita nunc mecum dic in iſto loco antecedit voluntas hominis gratiam Dei. non ſuperbiendo, ſed petendo, non extollendo ſed quærendo, non luctando ſed pulſando. Niſi enim ex fide voluerit, nullus ei baptiſmatis donum gratiæ divinæ impertit. niſi, inquam, ex fide voluerit credere, non erit particeps indulgentiæ: niſi ex fide deſideraverit, ad donum Dei pervenire non poterit. Si enim ad Chriſtum veniens dixerit gentilis, nolo baptizari, baptizari non poterit. Si ad pœnitentiæ fructum delinquens veniens dixerit, nolo reconciliari, reconciliari non poterit. Vtroſque ſacerdotalis cenſura examinat. quibus nihil gratiæ conferre prævalet, niſi integerrimam ex ore eorum didicerit voluntatem: aut ſi auſus eſt, vos ipſi cognoſcite. Majus aliquid dicamus. Si etiam infirmitatis vis ſermonis auferat facultatem, nullatenus poterit tacenti gratiæ Dei copia miniſtrari. Mentis enim ſecretum, niſi linguæ internuntio fuerit declaratum, conſequi non valebit gratiam. Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem fiet confeſſio ad ſalutem. Dicente ergo Domino, *Omnis qui petit accipit*, antecedere videtur voluntas petentis, ut poſſit concedi petentibus gratia retribuentis. Et ne forte fluctuantem te in iſto loco videar reliquiſſe, qui omne bonum gratiæ tribuis, non mecum laboras: non ſolum tunc dicam anteceſſiſſe gratiam, cum Deus adjungi homini non dedignatus, non petentibus nobis venire Matth. 7. 7.

 dig-

dignatus eſt: ſed & uſque hodie antecedit voluntas Dei voluntatem hominis. Vult enim ut ſalvemur, & nos nolumus. Væ autem mihi, & mei ſimilibus, quia quotidie antecedit voluntates noſtras & gratia, & invitatio, & voluntas Dei, & compunctio, & promiſſio gaudii ſempiterni, & terror æterni ſupplicii. Quotidie ergo præcedit voluntates noſtras gratia Dei, innumerabilibus plena ſuffragiis. ſed noſtra voluntas univerſa iſta Dei dona non ſequitur. Quid ergo dicit liber veſter? præcedit voluntatem hominis voluntas Dei. Et nos quid diximus? & præcedit, & ſequitur. Quid ergo laboravimus loquentes: quia vos tantummodo *præcedit* dicitis, *ſequitur* denegatis. Ipſum autem quod dicitis quia præcedit, idcirco dicitis, ut homo in criminibus poſitus velle ſuum faciat quieſcere, & expectet ut veniat ad eum prior gratia, ne incipiat velle ſuum anteponere gratiæ Dei. Nos autem catholici hæc execramur, & dicimus, Antecedit gratia voluntatem hominum oſtendendo vitam æternam in qua delectentur, oſtendendo incendium ſempiternum in quo terreantur, ut à peccatorum delectationibus revocentur. Antecedit, inquam, quotidie gratia voluntas noſtrates: ſed noſtra, quod eſt pejus, voluntas non ſequitur. Inde eſt quod flemus orantes, gemimus pœnitentes, quia antecedentem non ſequimur, invitantem contemnimus, & neque blandientem patrem ut filii honoramus, neque terrentem dominum timemus ut ſervi. Vnde Malach. 1, 6. etiam ipſe ad nos loquitur per prophetam: *Filius honorat patrem, & ſervus timet dominum. Si dominus ego ſum, ubi eſt timor meus? Si pater, ubi eſt honor meus?* Interrogamus nunc aliquid. Exigit à nobis antecedens gratia, an non exigit? Procul dubio exigit.

exigit. quid exigit? hoc utique quod ipſi dicitis, voluntatem ipſam. Ergo antecedit gratia. Quid eſt gratia? ut quod petieris gratis accipias. Et ideo non dixit, emite & dabitur vobis, ſed petite & dabitur vobis. Et unde apertius fratrum ſimplicitas hunc ſenſum agnoſcat, aliquam ſimilitudinem offeramus. Oſtenſa eſt Salomoni ſapientia. ecce gratia. quid nunc dicat cui oſtenſa eſt, ipſum Salomonem loquentem auſculta. *Amator,* inquit, Sap. 8, 2.
factus ſum forma ejus, & hanc quæſivi adſumere mihi, & currebam poſt eam: eo magis illa elongabat à me. Non tibi videtur puellam pulcherrimam inlicientem & provocantem amatorem in curſu? Vt quid nunc voluerimus hujus exempli facere mentionem? Audite gratiam Dei. Ponamus filiam patris. Hanc tibi, ô homo, ſcias evidentibus indiciis à ſuo patre manifeſtatam, ut videas & amator efficiaris pulchritudinis ejus. Oſtendit etiam quantæ ſint ejus divitiæ, quanta dilectio, quanta adfabilitas, quanta fides. Eſt ergo pulcra, eſt dives, eſt fidelis, eſt ſapiens, eſt etiam ſummi regis filia. Hanc tibi, ô homo, ad hoc ante oculos tuos pater exhibuit, ut amator ejus factus petas eam tibi in matrimonio, & ex ea Deo filios facias, ſicut fecit ille qui dicebat, *Si decem millia pædagogorum* 1 Cor. 4,
rum habeatis in Chriſto, non tamen habebitis multos 15.
patres. nam in Chriſto Ieſu per euangelium ego vos genui: De qua conjuge nos genuit Paulus Deo? utique de gratia Chriſti, cujus amator factus, univerſa pro amore ejus ſuavia habere ſe adſerebat ſupplicia. Cape ergo à carnis exemplo comparationem puellæ, ut ad ſenſum melius ſpiritalem adtingas. Ergo eſt tibi oſtenſa puella à patre. ecce gratia patris anteceſſit voluntatem. Iam tu incipe velle. Oſtenſa utique gratia ejus qui oſtendit, ut

Digitized by Google

quantum te amare credi debeat ex hoc conſi deres, quia ut te ſuum faceret, filiam ſuam tibi oſtendit, pulcram, divitem, ſapientem, ad hoc ut amator ejus effectus poſſis eam adſumere tibi in matrimonio. Ecce gratia antecedens voluntatem, ecce gratia ſtimulans pectus, ecce gratia inliciens mentem, ecce gratia excitans dormientem. Quid nunc jubetis ut faciat pater non petenti, non roganti, non concupiſcenti, & calorem amoris tui non oſtendenti? Tollit filiam ſuam, & jungit eam tibi faſtidiis occupato, aut aliis amoribus circumdato? Non hoc facit. Sed niſi quæſieris eam ut argentum, & niſi ut theſaurum veſtigaveris eam, & niſi ex fide volueris, & niſi ex fide cucurreris, & niſi tuam veram dilectionem oſtenderis, non eam omnino percipies. Sufficiat tibi, quia cum tu mendicus ſis, & illa ſit dives, ſuis te divitiis locupletat. degener tu, illa ſummi imperii filia, & ſua te generoſitate nobilitat. quid autem dicat pater ejus amatoribus filiæ ſuæ ſollicitus diligenter auſculta. *Qui diligit,* inquit, *patrem, & matrem pluſquam me, non eſt me dignus.* Non dixit qui pauper eſt, aut qui degener, aut qui miſer eſt: ſed qui diligit aliquid aliud plus quam me, non eſt me dignus. O gratia antecedens voluntatem, amorem ſolum flagitans! ô homo, ama & accipe. ſed ſi amas factis oſtende. Omnis qui amat, vult, cupit, rogat, vigilat, currit, feſtinat, ſatagit per amicos, per natos, per familiares, per ſervos, per ſeipſum, opportune, importune, obſecrationibus, promiſſionibus, fixo pacto, integroque amoris indicio. Et ut aperiam tibi oculos, tu qui te putas invitum & nolentem gratiæ divinæ poſſe ſociari, quid eſt quod quando eam dat pater, per familiares ſuos gratia antecedens exprimitur? Inquiritur

Matt.10, 37.

ab

Digitized by Google

ab eo qui eam accipit, quomodo veniat. ſi abrenuntiet omnibus amoribus mundi, omnibus pompis inimici. qui niſi velle ſuum expreſſerit verbis, numquid datur ei gratia quam popoſcit? Quid ergo vult, quid cucurrit, quid deſideravit homo? gratiam conſequi. & quid promittit? abrenuntio omnibus pompis diaboli & voluptatibus ejus. Oſtendit ſe nolle quod voluit, & incipit velle quod noluit: & tunc jam gratiæ participio incipit delectari, per quam & dives & regis filius nuncupetur. Ecce gratiam Deï vobis & antecedentem & ſequentem oſtendimus. Antecedit, quia vocat, quia provocat, quia invitat ut venias. ſequitur, quia dum veneris, & volueris, & petieris, donat. Videamus nunc quo veſtra pergat intentio. Dicit enim anathemabilis liber à veſtra vanitate conſcriptus. Non enim cum rogaremus, " 18.
" neque cum peteremus, ſed cum inimici eſſemus,
" reconciliati ſumus Deo, non per noſtram volun-
" tatem, ſed per mortem filii ejus. Iubetis ergo, ut non rogent homines Deum ut reconcilientur ei, ſed efficiantur inimici ejus, ut poſſit ſtare Apoſtoli Pauli ſententia. neque voluntatem ſuam bonis niſibus tradant: quia hoc quod reconcilientur homines Deo, dicitis, Dixit nos Apoſtolus reconciliari Deo, non per voluntatem noſtram, ſed per mortem filii ejus. Ergo qui inimicus fuerit Deo, ipſe reconciliandus eſt Deo, ipſe ſalvandus ſecundum vos? hi qui Chriſtum crucifixerunt hi ſalvandi ſunt, & qui dixerunt nolumus hunc, ipſi ſunt liberandi? hi autem qui inimici non fuerunt ſed amici, & voluerunt animam ſuam in amore ejus ponere, hi erunt in execratione Altiſſimo? Probatis vos omnibus hæreticis acrius blaſphemare, qui nolentes rectum

tramitem ingredi, anfractibus vos plenis erroribus tradidiſtis. Non enim inimicitias noſtras ad Deum Apoſtolus, ſed caritatem invitat. Dicit
Rom. 5, 8. namque, *Commendat itaque caritatem ſuam Deus in nobis. quoniam ſi cum inimici eſſemus reconciliati ſumus Deo per mortem filii ejus, multo magis reconciliati ſalvi erimus ab ira per ipſum.* Commendat ergo hoc opere caritatem ſuam in nobis, ut vel ſic amorem noſtrum ei ex integro conferendo, videamur ſaltem amoris voto rependere quod viribus non valemus. Nam quod nos diligit Deus, nobis prodeſt: nos ſi diligimus Deum, illi prodeſſe non poſſumus. Deus enim nullius eget, nullo honorante ſublimatur, nullo contemnente dejicitur. Ergo ut quid commendat caritatem ſuam in nobis? Vt dicamus utique, ſi cum inimici eſſemus ita nos dilexit, ut etiam unicum ſuum pro noſtra omnium pateretur ſalute interfici, quanto magis nunc jam reconciliatos ſibi ſalvos faciet in vitam ipſius? Vnde excludens veſtram ſpecialem defenſionem, generalem gratiam introduxit, di-
1 Cor. 5, 14. cens, *Conſiderantes hoc quod unus pro omnibus mortuus eſt.* & adjecit, *Ergo omnes mortui ſunt, quia pro omnibus mortuus eſt, ut & qui vivunt jam non ſibi vivant, ſed ei qui pro omnibus mortuus eſt.* Occurrit nobis hoc loco inſanus liber veſter, & dicit: Vos,
19. „ inquit, ubicumque omnes legitis, generaliter vul-
„ tis intellegi, cum omnes ſæpe pro parte docean-
Pſa. 13, 3. tur. Nam cum dicitur, *Omnes declinaverunt*, non
Pſa. 115, 11. tamen omnes declinaverunt, &, *omnis homo mendax*, non tamen omnis homo mendax: quia legi-
„ mus de quodam, *Erat homo verax.* Pars ergo ma-
„ xima omnes videtur ſignificare, cum utique con-
„ ſtet non omnes intellegi. Nullum in libro veſtro
„ locum ſine blaſphemiis invenimus. Hæc aſſertio

ubi

ubi adtendit ? Vt conſentientes vobis dicant Chriſtum non pro omnibus paſſum. Si hoc non vultis intellegi, ergo non pro parte hoc loco Apoſtolus nominavit omnes, ſed omnes generaliter memoravit. Corrigite ergo librum veſtrum, quia Chriſtus pro omnibus paſſus eſt, omnibus hominibus ſubvenire feſtinat. Omnes vocat, omnes invitat. qui ſalvatus fuerit, imputabit gratiæ Dei vocanti, invitanti, ſuccurrenti : qui non ſalvatus fuerit, imputabit ſibi neglegenti, contemnenti pariter & deſerenti. Omnia enim bona nobis à Domini gratia conferuntur petentibus. omnia autem mala à diabolo nobis Deum contemnentibus inrogantur. Non enim poterit poteſtatem ſuam exercere diabolus in his qui divinis defenſionibus vivunt. Numquid poteſt ſibi ſubjicere victoris ſui vaſa captivus ? *Nemo,* inquit Dominus, *intrat in domum fortis, & vaſa ejus diripiet, niſi prius fortem ligaverit, & tunc vaſa ejus diripiet.* Fortem vos ponitis inimicum : ſed nos religatum, & crucis trophæo credimus eſſe ſubjectum. inſidioſum. ſed inſidias ejus detectas oſtendimus. Numquid ſigno victoriæ munitum contingere prævalet victus ? numquid ſcuto Domini circumdatum, & lorica fidei indutum, & galea ſpei & ſalutis munitum, ictus poſſunt invadere ſagittarum ? Non vincitur à diabolo homo, niſi quando à ſuo receſſerit defenſore, dicente Apoſtolo, *Subditi eſtote Deo, reſiſtite autem diabolo, & fugiet à vobis.* Inviſibilis hoſtis eſt, ab inviſibili defenſore proſternitur. Sed contradicit hic etiam liber veſter inſanus, & auſus eſt dicere, tantum diabolum poſſe, ut homines trahat invitos, etiam hos quos Chriſtus ſuo cruore redimens Deo filios fecit. Dicitis, Clauſis oculis tranſiſtis hoſtis inſidias vos qui dicitis volunta-

Matt. 12, 29.

1 Pet. 5, 9

,, tem hominis aliquid poſſe virtutis adquirere: non
,, adtendentes quanta damna Deus quotidie patia-
,, tur, quantæ ruinæ caſtitatis per diabolum fiant,
,, quantæque criminum concupiſcentiæ. Quæ utique
,, ſi videretis,non laboraremus vobis oſtendere dam-
,, na virtutum, & victorias vitiorum. Dicite obſe-
,, cro, damna quæ Deus quotidie patitur; diabolo
,, vincente hæc patitur, an homine contemnente?
Si diabolo vincente dicatis, blaſphemia veſtra in caput veſtrum refundimus. ſi homine contemnente, adſertio noſtra victoriam cepit. Diabolus enim nec dominus, nec creator, nec pater eſt. Deus autem nobis & dominus, & creator & pater eſſe dignatur. Corpus ſuum victorioſiſſimum noſtro corpori ſociavit, ut corporis noſtri fragilitatem excluderet. Sanguinem ſuum noſtro ſanguini miſcuit, ut fervor genuini caloris quieſceret divino ſanguine temperatus. Chriſmatis ſui virtute nos unxit, ut luctantem contra nos diabolum vinceremus. Scuto bonæ voluntatis ſuæ nos ſeſe prote-
Pſal. 90, 14. gere repromittit, *Qui ſperat,* inquit, *in me, ego liberabo eum, protegam eum, quia cognovit nomen meum.*
Pſal. 90, 1. Vnde & ſuperius ait propheta de eo, *qui habitat in adjutorio altiſſimi,* quod non eum poſſit invadere, nec ſagitta quæ volat per diem, nec negotium quod perambulat in tenebris, nec ruina aut dæmonium meridianum, & cetera. Vnde his indiciis declaratur diabolus tunc habere virtutem, cum nos invenerit neglegentes, cum nos invenerit dormientes in fide. Omnis enim qui ex fide invocaverit nomen Domini, hic ſalvus erit. Verum quid prodeſt, quod humanum genus oſtendimus per Dei victoriam à diabolo liberari, & ſuo vitio homines capi? Additur nobis alter oppoſitionis articulus.
,, Dicit enim liber eorum, Per prævaricatio-

Digitized by Google

tionem primi hominis periit ab hominibus liber- “
tas arbitrii. Nos autem dicimus, Per prævarica- “
tionem primi hominis manifeſtata eſt libertas arbitrii, quæ potuit hominem facere velle quod Deus non vult. Si ergo periit libertas arbitrii, unde ſumus homines peccatores? Aliunde non ſumus peccatores, niſi quia volumus quod Deus non vult, & nolumus quod Deus vult: committimus quod fieri prohibet, & facere nolumus quod præcepit adimpleri. Per quid hoc tantum mali facimus, ſi nolentes hæc facimus? Alius eſt qui per nos operatur. ipſi ergo debuit lex dari, non mihi. Non lex gladio datur, ne occidat hominem: ſed illi datur lex, qui per gladium jugulat. Gladius enim, ſive occidat, ſive non occidat, idem eſt. nec laudem enim quieſcendo adquirit, nec occidendo culpam incurrit. Si ergo & nos agimur non agimus, excluſi ſumus à peccatis dum delinquimus, excluſi ſumus à fide dum credimus. Hinc itaque ſuperati ad calumniam convertuntur. Ait
enim liber eorum, Hæreſem Pelagianam iterum “ 22.
renovatis, cum dicitis per libertatem arbitrii “
homines finem ponere poſſe peccatis. Pelagi- “
um non hinc condemnavit Eccleſia. Objicit enim ei, quod in tantum exaggeraſſet libertatem arbitrii, ut Dei adiutorium recuſaret. Nos autem dicimus, Per libertatem arbitrii peccatum omne committimus: ab omni autem peccato per Dei gratiam liberamur conſenſu arbitrii. Deum autem gratiam ſuam non petentibus non dare ex iſto loco docuimus quod ipſe ait, *Petite &* Matt. 7,
accipietis. Oſtenſum eſt nobis non petentibus quid 7.
petamus, oſtenſum eſt nobis non quærentibus quid quæramus. oſtenſum eſt nobis non pulſantibus quid pulſemus. Si noluerimus petere, non acci-

bonum, ex quo etiam plus faciant alii quam prohibet malum. Manus enim, quæ exſpoliare poteſt veſtitum, quod prohibet Deus, hæc veſtire poteſt nudum, quod præcepit Deus. Quid tu dicis? una manus eſt quæ nudum veſtivit, & quæ veſtitum exuit. culpatur cum exſpoliavit, quia veſtire potuit: laudatur cum veſtivit, quia potuit denudare. Tolle utriuſque rei arbitrium liberum, & neque ex vitio culpam incurrit, neque ex virtute laudem adquirit. Vt autem diſpungam tibi libertatem arbitrii, arbitrium in anima eſt, libertas in corpore. Libertas ſine arbitrio non peccat, cum arbitrium ſine libertate delinquat. Denique ſi aliquem furem tenueris clauſum, libertatem ei furandi tuliſti, arbitrium non tuliſti..manus enim ejus ligaſti, non mentem. Si cæcus fiat aliquis, cum eſſet concupiſcentiis deditus oculorum, libertas quidem oculorum ejus eſt vincta, arbitrium in ſuo jure permanſit, animi enim arbitratu concupiſcentiis exercetur. Vnde & non mœchantem mœchum Chriſtus appellat eum, qui ad concupiſcendum viderit mulierem. arbitrium enim habet, licet non habeat libertatem. Fit per arbitrium ſuum ſine facto reus: voluntas enim perfecta pro facti opere à juſto judice reputatur: & impleſſe dicitur omnia qui quod potuit fecit. Corpus enim prohibetur ab impoſſibilitate ejus rei, quia arbitrium animi non tenetur. Nunc ergo quid facit gratia? non tollit liberum arbitrium, ſed curat, ſed amplificat, ſed ornat, ſed inſtruit, & exaltat. Non tamen nolentem ſed volentem exaltat. Niſi enim ex fide volueris, & ex fide cucurreris, aliter à gratia liberari non poteris. Certi ergo efficiamur, quod nos gratia non recuſat dum delinquimus, ſed nos recuſa-

recuſamus gratiam quando peccamus. Vnum
enim hîc è duobus cenſura judicantis adtendit,
aut gratiam recuſantem, aut hominem contem-
nentem. Si enim gratia recuſavit, hominem à
peccato liberum fecit. Numquid culpandus eſt,
qui non prandit apud eum, qui eum à ſuo convi-
vio recuſaverit, & non potius miſeratione dignus
oſtenditur, cum alius vocaverit & hunc recuſa-
verit? Immanis crudelitas eſt, ſi prohibitus eſt
prandere cum prandentibus, & cur non prande-
rit, ab eo, qui eum ſimul prandere noluerit, ju-
beatur occidi. Tandem aliquando liber veſter, va-
nus effectus, concedere videtur libertatem arbi-
trii, ea tamen conditioue, ut de menſuris agat, non
24. „ de ſpecie. Vnde, inquit, illi major libertas arbitrii
„ in bono, unde iſti minor eſt, niſi quia Dei diſpenſa-
„ tione cenſentur? In alio enim tenuem ſe exhibet
„ gratia, in alio abundantem & largam, prout ip-
„ ſa vult, non prout nos volumus. Non tecum
hîc ego concertor. hîc te enim & Chriſtus vin-
Luc. 7, 41, 47. cit & Paulus. Nam Chriſtus dicit, *Qui plus dili-
git, plus illi dimittitur, qui minus diligit, minus.* &
2 Cor. 9, 6. Paulus adſerit, dicens, *Qui parce ſeminat, parce
metet.* Non ergo eſt gratia per perſonarum accep-
tionem in Deo, ſed per hominis dilectionem in
mente, ſive ſit magna dilectio, ſive ſit parva.
Quis enim plus diligens Deum, minus diligitur à
Deo? Immo, ut verius dicam, non diligens
Deum à Deo diligitur, & parum diligens Deum
multum diligitur. Qualiter autem diligi Deus
Ioan. 14, 21. poſſit, ipſe Dominus edocet, dicens, *Qui audit
verba mea & facit ea, hic eſt qui diligit me.* Vnde
Ioan. 14, 23. & diſcipulis ſuis ait, *Si diligitis me, præcepta mea
ſervate.* Videamus itaque, homo ipſam liberta-
tem arbitrii quid faciat, ut Dei gratiam per-
fecte

fecte conquirat. Exinanit libertatem ſuam, & ſervum ſe efficit Dei. Quod autem noſtro hæc arbitrio faciamus, ipſe Apoſtolus edocet dicens, *Neſcitis quia cui vos ſervos exhibetis ad obediendum, ſervi eſtis ejus cui obeditis, ſive iniquitatis ad peccatum, ſive juſtitiæ ad ſanctificationem?* Qui ergo ſe ſub jugum miſerit Dei, exinanivit ſui libertatem arbitrii, ut per libertatem divini arbitrii liberetur. Non tibi videtur exinanire libertatem arbitrii ſui, qui ſibi eſurienti denegat panem, ſitienti denegat potum, dormitanti denegat ſomnum? Sed in his dignus eſſe non poterit, niſi ſe voluntarium comprobaverit. *Non enim ex triſtitiá,* inquit Apoſtolus, *nec ex neceſſitate. hilarem enim datorem diligit Deus.* Vnde & propheta dicit Deo, *Voluntarie ſacrificabo tibi.* & iterum, *Refloruit caro mea*, inquit, *& ex voluntate mea confitebor illi.* De injuſto autem legimus, *Noluit intelligere ut bene ageret.* Vnde & beatus Iacob, *Simeon*, inquit, *& Levi fratres conſummaverunt iniquitatem ex voluntate ſua.* Si ergo antequam vera & integra libertas noſtra veniret, Dominus Ieſus Chriſtus, juſtus voluntarie ſacrificavit Deo, & ex voluntate ſua confeſſus eſt, peccator ex voluntate deliquit: quanto magis nunc, inſtauratá nobis libertate per Chriſtum, univerſa noſtro jure ſunt reddita, non natura dominante, ut Pelagius & Cæleſtius definivit, non natura hominis dominante, ſed Chriſti gratia condonante? Non ſuis viribus imputando, ſed de Dei adminiculis præſumendo. non ſibi aliquid uſurpando, ſed totum Dei gratiæ imputando? Totum, inquam, totum dixi. totum repeto, totum, ſed bonum: malum autem ex noſtro vitio ex noſtra neglegentia, & ex noſtra incurrimus voluntate. Quid convertitis caput ad calumnias & Pe-

Rom. 6, 16, 19. 2 Cor. 9, 7. Pſal. 53. 3. Pſal. 27. 7. Pſal. 35. 4. Gen. 49. 6. 7.

Digitized by Google

& Pelagii nobis dogma objicitis? Anathemamus omnes qui dicunt, adjutorio Dei ſublato, poſſe hominem ſine peccato eſſe ſi velit. anathemamus qui dicunt, nec per Adam mors, nec per Chriſtum vita. anathemamus qui dicunt, de duobus baptizatis qui naſcitur baptiſmum indigere non poſſe. anathemamus qui dicunt, infantes non debere in remiſſionem peccatorum baptiſmatis ſanctificatione cenſeri. anathemamus omnia quæ in omnibus hæreticis damnat Eccleſia. anathemamus & librum veſtrum vobiſcum, qui
„ dicit, In tantum vitiatam per prævaricationem
„ Adæ hominis naturam agnovimus, ut inſtauratio-
„ nem ſuam per Chriſtum non in re ſed in ſpe fue-
Rom. 8, rit conſecuta, dicente Apoſtolo, *Spe ſalvi facti ſu-*
24. *mus, ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes.* Si ergo ſpe
„ ſalvi facti ſumus, adhuc rem in præſenti ſæculo
„ non tenemus. Ideo denique baptizati iterum car-
„ naliter concupiſcunt, & illos motus corporis pa-
„ tiuntur, quia ſpe non re conſecuti ſunt inſtaura-
„ tionis auxilium. Si enim re conſecuti fuiſſent,
„ poſt baptiſmatis gratiam non eſſet peccati nec
„ poſſibilitas, nec voluntas. Verum quia virtus ba-
„ ptiſmatis tanta eſt, ut univerſa peccata deleat, pul-
„ lulatio tamen peccatorum baptiſmatis unda non
„ abluitur, ineſſe enim per Adam naturaliter perdo-
„ cetur. Nam illa membra, quæ in baptiſmatis hora
„ confuſione carent, poſtea confuſionem recipiunt,
„ quæ vitant ubique conſpectum, & quærunt puden-
„ do ſecretum. Quæ enim Deus membra fecerat,
„ prævaricatio in pudenda convertit, & non di-
„ cuntur membra, ſed pudenda. Quæ pudenda in
„ puncto illo baptiſmatis membra fiunt: ſed mox
„ iterum pudenda efficiuntur ex membris. Non
„ enim re ſed ſpe inſtaurati ſunt. Concupiſcentia
enim

enim carnis, quæ per prævaricationem Adæ repugnat in corpore tanquam lex peccati, iterum ſibi vindicat baptizatum, totumque animum ejus conatur evertere. Hæc eſt enim radix illius plagæ, quam Chriſtus ſalvavit. ſalvavit autem ſic, ſicut Apoſtolus dicit, *Spe ſalvi facti ſumus*. Et jubet nos animum ad inviſibilia contemplanda transferre, nec de his quæ videntur præſumendo conruere. Et ideo dicit, *ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes*. Ne forte æſtimarentur per baptiſmum ita tolli peccata, ut etiam radices ipſæ peccatorum ſimul putarentur auferri. Motus enim ille pollutionis, qui per prævaricationem naturam invaſit, ita remanet in baptizato, ſicut radix capilli cum fuerit novacula in ſuperficie emundatus & raſus. Raſus enim eſt ut emundaretur locus: non eſt eradicatus, ut ulterius non naſceretur. Si enim ex integro per baptiſmum omnis prævaricationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati omnes nullo caloris motu traherentur ad crimina, nullus ſordibus inquinaretur humanis, nullus concupiſcentiæ ſtimulo pungeretur. ſed quia ſpe ſalvi facti ſumus, quod adhuc non videmus, per patientiam expectamus. Veniet tempus, in quo neque nubant feminæ, neque viri uxores ducant, ſed ſint ſicut Angeli in cælis. Cum enim corruptibile hoc induerit incorruptionem, & mortale hoc induerit immortalitatem: tunc fiet ſermo qui ſcriptus eſt, *Abſorpta eſt mors in victoriam. ubi eſt mors victoria tua? ubi eſt ſtimulus tuus? ſtimulus autem mortis peccatum eſt: virtus vero peccati lex.* Tunc dicemus, Deo gratias qui dedit nobis victoriam per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Hic eſt libellus veſter, quem nulli datis legendum niſi ſub ſacramento. Vide ne prodas, ne

1 Cor. 15,54.

des legendum imperitis. regnum Dei paucorum eſt. In hoc apparet quia te Deus prædeſtinavit ad vitam, ſi hunc libellum tu ſicut tuam animam ſerves. Maxima pars muliercularum à vobis hunc meretur libellum accipere. Denique quæ eum prodidit, femina corpore, ſed vir animo, dum iſtum à vobis libellum ſub ſacramento ſuſcepiſſet, ſcriptum legens exhorruit, & his quos catholicos noverat examinandum dedit. Legimus eum & nos, quod ſemper timuiſtis, & juvante Domino blaſphemias ejus evidenter detegentes, omnes catholicos admonemus, ut hunc libellum fugiant, execrentur, & æterno anathemate feriant. Damnabilitas enim ejus eouſque pervenit, ut univerſa myſteria Salvatoris evacuet. Dicit baptiſmum Chriſti fructum ullum penitus, dum traditur, non habere. Spes, inquit quæ videtur non eſt ſpes, id eſt remiſſio peccatorum: & quicquid in præſenti promittitur, non eſt, quia in futuro ſervatur, hic tamen, id eſt in hoc mundo, non accipitur. Dicit enim Apoſtolus, *Spes quæ videtur non eſt ſpes.* Ergone hoc Apoſtolus ad iſtum veſtrum ſenſum dixit? Prius itaque beati Pauli cum debita reverentia ſenſum exponemus: & ita demum per partes concidemus pedes libri veſtri, in his quæ concluſio ejus circa nos finem ſe autumat inveniſſe perfectum. Apoſtolus conſolationem filiis Dei adferens dicit, ut in iſto mundo nihil quærant, ne forte conſiderantes impios & incredulos proſperis ſucceſſibus gratulari, ſe vero adfligi, dicerent, Ecce hi peccatores & abundantes in ſæculo obtinuerunt divitias: nos autem uſque in hac hora, & eſurimus, & ſitimus, & nudi ſumus, & colaphis cædimur. Tollens ergo præſentis ſæculi conſiderationem, gaudia futura

tura promittit. Et quamvis magnis, inquit, paſſionibus fatigemini, non ſunt tamen condignæ paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Et ideo *ſpe* inquit *ſalvi facti ſumus*. Nota tibi *ſalvi facti*. non dixit ſalvandi, ſed *ſalvi facti*. Præteritum fecit ſalutis. dum credidimus ſalvi facti ſumus. Quare ſpe? Speramus enim nos reſurgere. non enim jam reſurreximus. Quia ergo ſperamus nos pro bonis præmia accepturos, & pro malis gehennæ poſſe incurrere ſupplicia, ſperantes bona, & timentes mala, ſalvi facti ſumus, & qui eramus filii iræ, facti ſumus filii Dei. Vnde & alius Apoſtolus clamat, *Cariſſimi filii Dei ſumus*. Non ergo adoptio filiorum promittitur in baptiſmo, ſed confertur. Vos autem de hoc quod jam accepimus dicitis, ſpes quæ videtur non eſt ſpes. Nobis ſpes tota videtur in baptiſmatis ſanctificatione conſtare. ergo quod nobis videtur ſpes, non eſt ſpes. In chriſmatis Chriſti unctione ſpei noſtræ cernimus firmamentum. ergo ſpes quæ videtur non eſt ſpes. Corpus Chriſti ſpem noſtram videmus. ergo ſpes quæ videtur non eſt ſpes. Sanguinem Chriſti redemptionem noſtram adtendimus. ergo ſpes quæ videtur non eſt ſpes. Evacuaſtis omnia ſacramenta, exinaniſtis myſteria, & quaſi fidi & idonei metatores Antichriſti, locum ei ubi poſſit ſuccedere ejectis nobis ab aliquibus præparatis. Nam hæc quæ Apoſtolus de mundi iſtius gaudiis dicit, *Spes qua v detur non eſt ſpes*, vos ea ad divina myſteria tranſmigraſtis. Quod ille de caducis rebus & labentibus memorat, hoc vos etiam ipſi ſacro baptiſmati adſcripſiſtis. Non habeamus partem vobiſcum in æternum, nec ſenſus noſter ultra his blaſphemiis inquinetur. Ideo, inquiunt, bapti-

Rom. 8, 24.

1 Ioan. 3, 2.

,, ptizati iterum polluuntur, & carnaliter concupi-
,, ſcunt, quia ſpe non re conſecuti ſunt inſtauratio-
,, nis auxilium. Nos autem ſic ſpem tendimus ad
futura præmia, ut in præſenti quod accepimus non
negemus. Non enim meretur conſequi beneficia,
qui non confitetur accepta. Si quod accepiſti jam
denegas, confutaris ingratus. Ergo ſi adhuc non
eſtis gratiam conſecuti, ſed conſecuturi eſtis,
quid nobiſcum clanculo communicatis? Expecta-
te alterum Chriſti corpus, alterum Chriſti ſan-
guinem. iſtum enim non in re, ſed in ſpe eſſe
27. ,, jactatis. Si enim re, inquiunt, conſecuti eſſemus,
,, poſt baptiſmatis gratiam non eſſet peccati nec
,, poſſibilitas, nec voluntas. Ideo ergo vultis oſten-
dere baptiſmatis gratiam non rem contuliſſe, quia
iterum poſt baptiſma poſſumus & velle malum,
& operari malum. Et cui habebat dari lex Dei, ſi
poſſibilitas mali fuiſſet ablata? aut quis de cuſto-
dia mandatorum Dei præmium peteret, ſi præ-
varicari non poſſet? ſicut nec mutus de taci-
turnitate, nec ſpado de virginitate laudatur. Ca-
rent enim laude in bono, quibus ad malum tranſi-
tus denegatur. Nos ergo dicimus, poſſibili-
tatem mali bonam eſſe his qui eam contemnunt:
& poſſibilitatem boni malam eſſe his qui eam
contemnunt. Dabo his ſingulis titulis breve re-
ſponſum. Potuit quis exſpoliare veſtitos, ecce
malum potuit: ſed quia noluit, facta eſt poſſibili-
tas mali bona, qui eam conſilio prudentiore con-
tempſit. Potuit quis creditam ſibi pecuniam rape-
re, potuit adulteria perpetrare, ecce poſſibilitas
mali, & qui eam contempſit, ipſa poſſibilitas eum
fecit, tam de pecunia non furata laudari, quam
coronari de caſtitate ſervata. Diximus unum ti-
tulum, id eſt de poſſibilitate mali, quod bona
ſit

Digitized by Google

ſit his qui eam contempſerint. Nunc videamus
quomodo è contrario poſſibilitas boni mala in
his qui eam contempſerint. Habet quiſpiam pe-
cunias poſitas : ecce poſſibilitas boni. poteſt enim
cunctis neceſſitatem patientibus ſubvenire. Hanc
autem poſſibilitatem boni dum contempſerit,
efficitur poſſibilitas mala, & tam mala, ut radix
malorum omnium comprobetur. Verum quid
agimus ? Baptiſmatis nobis ſtatus in periculo po-
nitur. & nos de avaritiæ veneno tractamus. Om-
nibus notum eſt avaritiæ crimen ſatis eſſe gra-
viſſimum : baptiſmatis autem gratiam exinaniri
ab hominibus perfidis, nuper cœpit innoteſcere,
nuper cœpit catholicis propalari. Ajunt nam- “ 28.
que per baptiſmum ita tolli peccatum, ut capil- “
lum novacula eraſum. Raſus enim eſt, inquiunt, “
ut emundaretur locus. non eradicatus eſt ne ul- “
terius naſceretur. Si enim ex integro omnis præ- “
varicationis Adæ fragilitas tolleretur, baptizati “
omnes nullo caloris motu traherentur ad cri- “
mina, nullo concupiſceentiæ ſtimulo pungeren- “
tur. Hinc ergo exinanitis baptiſmatis ſacroſan-
cta myſteria, quia concupiſcentia, ut ipſi dicitis,
lex peccati eſt, & ipſa ſibi iterum vindicat bap-
tizatum. De hac ergo concupiſcentia ſi fueritis
excluſi, integra erit in baptiſmo & peccatorum
remiſſio, & vera conſolatio gratiarum. Gratia-
rum autem ideo pluraliter poſui, quia cum una ſit
gratia, ut vitis una palmitibus pluralis efficitur,
& tot vites dicuntur, quot fuerint propagines
de una vite compreſſæ. Datur ergo ex uno bap-
tiſmatis fonte in præſenti peccatorum remiſſio,
& regnum promittitur in futuro. efficitur filius
hominis filius Dei. fit adoptione filius, fit con-
ſors regni, fit civis ex advena. fit ingenuus qui

ſervus extiterat inimici. fit locuples qui fuerat
ante mendicus, & qui fuerat dudum ignobilis,
incipit eſſe & inluſtris, & magnus. Sed iſta om-
29. „ nia evacuat liber veſter, & dicitis, Si darentur
„ quæ promittuntur in baptiſmo, nullus poſt ba-
„ ptiſmatis undam concupiſcentiæ ſtimulo pungere-
30. „ tur. Videamus ergo utrumnam hæc concupiſcen-
tia, ſicut dicitis, lex peccati ſit. Nos concupi-
ſcentiam dicimus eſſe rem naturalis certaminis:
& hanc dicimus ad propagationem hominum à
Deo creatore viſceraliter eſſe firmatam. Ad-
huc enim primi homines nondum de prævarica-
tionis ligno guſtaverant, quando eos benedixit
Gen. 1, 12, 28. Deus dicens, *Creſcite, & multiplicamini, & replete
terram.* Qui ergo ante peccatum benedicendo
genus hominum multiplicari juſſit, ipſe ſine du-
bio huic naturæ per quod propagari poſſet in-
ſeruit. Diſpar etenim ſexus multiplicari minime
potuiſſet, ſi incrementa naturalis concupiſcen-
Gen. 2, 18. tiæ non haberet. *Non eſt bonum*, ait Dominus, *eſſe
hominem ſolum. faciamus ei adjutorium.* Hoc adju-
torium diſparis ſexus ad conſolandum vultis eſſe
factum à Domino, an ad generandum? Si enim
concupiſcentia mala eſt quæ materia generatio-
nis oſtenditur, conſtat ſecundum vos à Deo mu-
lierem non ad adjutorium boni, ſed ad occaſio-
nem factam eſſe peccati. Quod ſi adjutorium
mulieris, non ad reparationem, ſed ad conſola-
tionem neſcio quam dicatis fuiſſe conceſſum,
diſpar ſexus ſine cauſa eſt conditus ab eo, de quo
legimus quod omnia in ſapientia fecerit. Verum
quia teſtamenti veteris forte vos auctoritas non
tenet, de primis hominibus quid ipſe Domi-
nus noſter Ieſus Chriſtus dixerit aſcultate.
Matt. 19, 4. *Qui fecit*, inquit, *maſculum & feminam, benedixit*

eos

eos & dixit, Propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. & his dictis adjunxit, *Quod ergo Deus junxit homo non ſeparet.* A Deo igitur factos, à Deo benedictos, à Deo legimus eſſe conjunctos. Et 30.
miror qua fronte concupiſcentiam iſtam, per quam conjugia celebrantur, dicatis à diabolo eſſe humano generi inflictam. Quis enim dubitet rem malam, ſi tamen mala eſt, à Deo bono homini non potuiſſe conferri? Si enim à Deo eſt data, bona eſſe dinoſcitur: ſi autem mala eſt, conſtat à diabolo eſſe infuſam. Sic enim dicit liber veſter, Quæ Deus membra fecit, illi prævaricando pudenda fecerunt. Si hoc non eſt in membris quod Deus condidit, & ſuper fabricam Dei inimicus apparuit, & Deo invito fecit creaturam ejus alterum ordinem continere, non quem ipſe inſtituit, maledictæ ſunt nuptiæ, & ex maledictione univerſa humani generis maſſa veniens diabolo auctore ſubſiſtit. Vnum vobis eligite è duobus. Aut bona eſt generatio hominis, & bona eſt concupiſcentia: aut malæ ſunt nuptiæ, & iniqua concupiſcentia. Emendate ergo Eccleſiæ regulam, damnate qui in toto orbe ſunt ſacerdotes, nuptiarum initia benedicentes, conſecrantes & in Dei myſteriis ſociantes. Miror qua fronte intratis Eccleſiam, ubi quicquid agitur contra veſtras ſectas venire cognoſcitis. Negatis itaque Deum hanc unde naſcimur, dediſſe concupiſcentiam. Ergo non ſumus creatura ejus, ſi non eſt ejus creatura concupiſcentia conjugalis. Tollite enim hanc, quam vos dicitis legem eſſe peccati, & videamus quis adhærere poſſit uxori. Sed qui dederat virtutem ſeminis in benedictio-

 nem,

nem, ipſe ob multiplicandam ſubolem concupiſcentiæ inſeruit caritatem, & amari voluit quod multiplicari conſtituit. Incrementum enim eſt generis concupiſcentia naturalis. Quod ſi per hanc, ut dicitis, omnis conſtat eſſe cauſa peccati, ipſe crimen creavit in genere, qui poſteritatem multiplicari voluit per amorem, & ſuper pater-
Matt. 19, 6. næ pietatis jura diligi præcepit uxorem. Denique ipſe Dominus noſter Ieſus cum dicit, *quod Deus conjunxit homo non ſeparet*, tale eſt quaſi qui diceret, Odiſſe tibi uxorem non licet, quam me auctore amare cœpiſti. Zelabatur enim conjunctionem à ſe factam odiis jugalibus maculari. Rerum nova perverſitas! cum à Deo puniatur uxoris odium, damnatur ab hominibus concupiſcentia maritorum. Sed juſtus judex non damnat deſiderium naturale, qui ut multiplicaret prolem ideo inſeruit caritatem. Nam cum de conjugio & repudio tractaretur, tunc Dominus iſtam dictavit ſententiam, dicens, *Quod Deus junxit homo non ſeparet*. Hoc autem ideo dixit, ut ſpecialiter nuptiarum conjunctionem ex Deo eſſe monſtraret. Nec enim eſſe potuit, aut ſine conjunctione commixtio, aut abſque commixtione conjunctio. Si non ex creatura factoris, ſed ex peccato inquiunt concupiſcentia maritalis, ergo ſecundum vos Deus hoc in benedictione conjunxit, quod Diabolus per prævaricationem inſeruit. Quod ſi ita eſt, non fuit adverſarius ſed adjutor Dei, ſi quos Deus in carne una eſſe voluit, hic per concupiſcentiam inſeparabiles fecit, & quod ille juſſit augeri & creſcere, hic per quod hoc ipſum quod juſſerat ut impleretur invenit. O quam infelix impietas eſt à Prædeſtinatis inventa, ut ex prævaricatione di-

dicatur eveniſſe hominis, quod eſt ex benedictione creatoris inſertum! Hanc vos dicitis legem peccati. ſed hanc nos legem generis comprobamus, quam vos criminis accuſatis: & hanc nos dicimus cauſam eſſe virtutum, quam vos vultis oſtendere materiam vitiorum. Nam cum ejus adjutorium faciat parentes fœcundos in ſubole, hujus certamen & continentes præſtat & virgines glorioſos. Et ne alicubi hujus eſſe æſtimes detrimentum, majora repugnando quam adjuvando largitur: quia dum adjuvat fructum exhibet generis, dum repugnat confert præmium caſtitatis. Illic ſine culpa operatur, hic exercet pugnam cum munere. Tolle concupiſcentiam, & ceſſant conjugia: tolle concupiſcentiam, & ceſſant præmia caſtitatis. Quale hoc rogo malum eſt, quod duplicis boni cauſa eſſe monſtratur? quod alios in generationis gaudio exhibet, alios in triumpho virtutis? Alii enim per eam operantur licite, alii per eam dimicant glorioſe. Quod ſi etiam in omnibus hæc dicitur eſſe peccatum, conſtat & conjuges, & continentes, & virgines per hanc eſſe damnandos. omnibus enim ineſſe cognoſcitur per naturam. Nos non ita eſſe ſentimus. ſed laudamus eam ordinem ſuum cuſtodientem, & Deo reverentiam exhibentem. Et ideo in baptizatis etiam ipſa benedicitur, non fugatur, & ornatur magis quam tollitur. Qui enim fontem aquæ perennis nunc benedixit ut renaſceremur ſpiritaliter, ipſe tunc benedixit conjuges ut carnaliter naſceremur. Hunc ergo concupiſcentiæ motum, ſicut cetera alia membra, è creatore ſuſcepimus. Si ideo eſt concupiſcentia malum, quia per hanc aliquotiens adulterium geritur, ergo & manus mala eſt, quia

 per

per hanc homicidium perpetratur. Accuſate & linguam, quia per ipſam blaſphematur Deus. damnate & pedes, quod hominem duxerint ad lupanar. Sic fit ut non ſola concupiſcentia, ſed univerſa à vobis membra damnentur. Reſpondeam vobis ore catholico, quoniam ſicut manus facta eſt, non ad occidendum, ſed ad operandum, & lingua non ad blaſphemandum, ſed ad gloriam creatoris & laudem, & membra omnia, non ut vitiis ſerviant, ſed divinis præceptis inſiſtant, ita & concupiſcentia naturæ eſt inſita, non ad adulterandum, ſed ad generandum. quam utique comprobavimus non modo conjugibus fœcunditatis adjutorium, ſed etiam continentibus palmam poſſe adferre virtutis. Vultis noſſe bonam hanc eſſe concupiſcentiam? Myſteriis eam comparabo divinis. Non enim ſolum adpetita mala, ſed etiam bona præſumpta condemnant. Pone aliquem ante baptiſmatis inluminationem corpus Domini præſumpſiſſe. numquid non iſte de boni præſumptione damnabitur? Quod enim aliis conlatum ſecundum ordinem confert ſalutem, hoc aliis damnationem facit extra ordinem, extra tempus acceptum. Similiter ſi uſurpet laicus ſacerdotium, vel ſi ſacrificium offerre præſumat, numquid non iſte de non conceſſa ſibi poteſtate damnandus eſt? Quod ſi de tam ſanctis rebus præſumtio reum facit, non actio, quanto magis in concupiſcentia, non actio ſuum ordinem tenens, ſed extra ordinem vadens, vocatur in crimine, & facit maledictum extra ordinem euntem, quem benedictum creator in ſuo ordine conlocavit? Quod ſi ita eſt, immo quia ita eſt, quid patimini infelices, qui volentes exinanire baptiſmatis reſtaurationem, dici-

Digitized by Google

dicitis hanc concupiſcentiam ideo remanſiſſe, ne tota ex amuſſim homini peccâta viderentur indulta? Cur non magis hinc vobis debuit eſſe ſuſpicio hanc non eſſe peccatum, quod in baptizatis hominibus non deletur? Si enim eſſet peccatum, utique ſicut cetera tolleretur. Igitur qui per concupiſcentiam baptiſmatis dona exinanire contenditis, conditorem concupiſcentiæ diabolum eſſe monſtratis: per quem docetis, & creatorem in ſua operatione dum conderet defeciſſe, & baptiſmum tribuentem ex integro non potuiſſe ſuccurrere. Habebunt vobiſcum partem qui vos ad ſe libenter admittunt. Scriptum eſt enim, reos fore, non ſolum qui iniquitatem faciunt, ſed etiam eos, quos eis conſtiterit conſenſiſſe.

Variantia vel errata in M S.

Pag 21. lin. 16. pro Secundianorum M S. habet *Euandrianorum.*

P. 22. l. 11. M S. *Colobraſiana* & *Colobraſio.*

P. 24. l. 7. M S. *Cajani,* ut Theodoretus.

P. 25. l. 32. *Syrinum,* apud Euſebium Synerum.

P. 33. l. 12. M S. *Anoetorum* pro Noetianorum.

P. 40. l. 17. M S. *Mattari* pro Macarii.

P. 45. l. 14. M S. *Valdianos* pro Audianis.

P. 48. l. 11. leg. de qua factus eſt.

P. 59. l. 26. His nomen in Elencho *Metageneta.* in M S. nullum.

P. 61. l. 21. leg. & ita eum per totam.

P. 63. l. 5. M S. *Octavia,* quæ prius Octaviana.

P. 84. l. 8. leg. Dei gratia, Dei clementia.

P. 124. l. 25. leg. ſed non quod vult bonum.

P. 132. l. 34. leg. Interrogamus nunc. Aliquid exigit.

L E-

LECTORI.

Quæ ſequuntur, excerpta ex Arnobii iunioris commentariis in pſalmos, cum iis collata quæ apud Auctorem noſtrum de iiſdem capitibus leguntur, ſic pleraque inter ſe conſentiunt, ut operis utriuſque conditor idem videri queat, aut certe alter ab altero mutuatus.

ARNOBIVS IN PSALMVM CXLVII.

Objicitur huic loco, nos hoc ita dicere, ut videamur hominis voluntatem oſtendere quod Dei gratiam antecedat. Vigilanter age & non calumnioſe, & vides gratiam Dei generalem ſuper omne hominum effuſam genus. Omnes antecedit gratia multiplici largitate diffuſa. Deſcendit de cælo Deus homine non volente, docuit exemplo & verbo homine non rogante, ſigna multa & virtutes ad ſe manifeſtandum exercuit homine etiam prohibente. Mortalitatem noſtram ſuſcepit homine ignorante. irriſus, crucifixus, inter homicidas mortuus, ſepultus, reſurrexit, & in cælos aſcendit. Hæc omnia ad hominis ſalutem, ad hominis liberationem, ad hominis redemptionem, ad hominis coronam, ad hominis gloriam exercuit Chriſtus. Nota tibi, calumnioſe, quod dico, ad hominis ſalutem, non volentis neque currentis. Quid eſt ergo quod egimus? Oſtendimus tibi antecedentem gratiam Dei generalem omnium hominum bonam voluntatem. Nota tibi, PRÆDESTINATE, quod loquor. Omnium generaliter bonam voluntatem Chriſti gratia hoc ordine quo diximus antecedit, ſi tamen pro omnibus natus, ſi tamen pro omnibus paſ-

paſſus, ſi non negas pro omnibus mortuum, ſi cum Apoſtolo aſſeris quod *omnes homines vult ſalvos fieri*. Age nunc, tolle te à generali gratia, ad ſpecialem accede, & ſimiliter cum Apoſtolo clama, non omnis generaliter homo ſalvus erit, ſed *omnis homo quicumque invocaverit nomen Domini hic ſalvus erit*. Vade ergo ad officinam medici, qui ultro venit ad civitatem noſtram, non utique nobis rogantibus. omnibus nobis medicus ſupervenit, officinam aperuit, & vocem emiſit, qua ac ſi præco exclamans dixit, *Venite ad me omnes*. Iam modo poſt hanc vocem antecedit voluntas gratiam. *Si enim volueritis*, inquit, *& audieritis me, quæ bona ſunt terræ edetis: ſi autem nolueritis, gladius vos comedet*. Sicut ergo anteceſſit gratia voluntatem hominis in oſtenſione ſui, & in adapertione veritatis, ita antecedit voluntas hominis gratiam Dei. Non enim prius baptizaris, & ſic velle incipis credere. ſed prius voluntatem tuam perfectam exhibes ſacerdoti, & confeſſionem tuam tuis labiis pandis, & ita demum ad Dei gratiam ut conſequaris adtinges. Quam conſecutus confiteberis, quia omnia Dei dona credendo & deſiderando conſecutus es.

1 Tim. 2, 4. Rom. 10, 13. Matt. 11, 28. Eſa. 1, 19.

IDEM IN PSALMVM CXVII.

Nunc forte audiat me prædeſtinationem docens, & arbitrium hominum infringens, putet me libertatem arbitrii ita excludere, ut peccantes exiſtimem Dei abjectione peccare. Quod peccamus noſtri arbitrii docebitur, qui contemnimus gratiam. Vide quanta libertas eſt arbitrii tui. Negatur à ſervo dominus, ut dicat homo Deo, nolo tibi credere: & faciat ſibi templum ubi ido-

lum

lum colat, aut ſynagogam ubi ſuum abneget Salvatorem. Quod ergo malum facimus, per libertatem incurrimus, quia non dignatur dominus juſtus coacta ſervitia. Si vero aliquid boni facimus, imputabitur largitori, qui bona omnia ad ſe confugientibus præſtat, ſecundum illud quod ipſe dignatus eſt repromittere, *Omnis qui petit accipit, qui quærit invenit, & pulſanti aperietur.* Pulſemus ergo, & cum propheta in iſto pſalmo cantemus, *Aperite mihi portas juſtitiæ, & ingreſſus eas confitebor Domino.* Hæc nos clamamus adminiculis auxiliiſque divinis. Vnde nobis vox reſponſionis eorum videtur audiri, Hæc porta quam pulſatis non eſt hominis libertati conceſſa, ſed eſt in Domini auxilio conſtituta, & ſoli juſti introibunt per eam. Confiteamur ergo Domino, quoniam ipſe exaudit nos, & ipſe nobis efficitur in ſalutem.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

In librum primum, qui de Hæreſibus.

A.

Abeloitæ. 64
Abraſax Deus. 18
Adam mortalem factum, ejuſque peccatum generi humano nihil obfuiſſe, docent Pelagiani. 65 plus potuiſſe ad nocendum, quam Chriſtum in ſubveniendo, Prædeſtinati. 69. 78. De primo Adam eſt quod naſcimur, de ſecundo quod recreamur. 67
Adamiani. 31
Adecerditæ. 59
Adelophagi. 56
Aëriani. 46
Aëtiani. 46
Africanus de hæreſibus. 17. 61
Agriculturam accuſant Manichæi. 41
Alexandri Papæ liber adverſus Heracleonitas. 23
Alexandrini & Conſtantinopolitani Epiſcoporum mos inter ſe. 68
Alogii hæretici. 31
Alogiis notata verba hæreticorum. 14
Ambroſius contra Iovinianum. 61
Ametritæ. 59
Ampullianus hæreſiarches. 36
Anaſtaſius Papa. 61
Angelici hær. 34
Angelos mundum feciſſe docet Menander. 17. ab Angelis ſeptem conditum Saturninus. 19. condere non potuiſſe probat Thomas. 19. Angelos adorant Angelici. 34
Animas divinæ naturæ affirmant Priſcilliani. 55. duas in unoquoque dicunt Manichæi. 43. ab Angelis non à Deo creatas Seleuciani. 48. malas vel bonas creari à Deo Floriani 52. bonas in ſpiritus Angelorum converti, malas in ſpiritus dæmonum, Pſychopneumones. 59. cum corporibus interire, & in fine ſæculi utrumque reparari, Arabici. 62. Chriſto ad inferos deſcendente animas omnes crediſiſſe & liberatas eſſe, Adecerditæ. 59
Anthropomorphitæ, Audiani. 45
Antidicomaritæ. 47
Apellitæ. 26
Aphrodiſius Epiſc. Helleſponti 44
Apocryphas ſcripturas cum canonicis recipiunt Priſcilliani. 56
Apollinariſtæ. 46
Apollonius Epiſcopus Corinthi. 27. Epheſi. 38
Apoſtolici. 34
Aqua conſecrata peccata mundat. 54. aquam offerunt Aquarii. 51. Deum faciunt Hydrotheitæ. 58
Aquarii. 51
Arabici. 62
Arbogaſtes dux. 63
Archontici. 25
Arriani. 44
Arrius Chriſti verbis abuſus. 114. Arrii verba ex libro tertio. 122.

Arte-

Artemonis hæreſis. 36
Artotyritæ. 30
Aſcitæ. 50
Audiani. 45
Auguſtinus orthodoxus ſemper doctor. 13. contra Pelagianos ſcribit. 66. Tertullianiſtas convertit. 63. liber ſub ejus nomine confictus à Prædeſtinatianis. 71. ejus dicta illi contraria. 83
Aurelius Epiſcopus Carthaginienſis. 63

B.

BAptiſmum in aqua non accipiunt Seleuciani. 48. nihil prodeſſe dicunt Manichæi. 43. infantes non ideo baptizandos, quia habere poſſint peccatum originale, docent Pelagiani. 66
Baptizatis peccata non obeſſe ajunt Heracleonitæ. 22. 23. baptizatos peccare non poſſe, Ioviniauiſtæ, 60
Baptizatos Eccleſia etiam hæreticos non rebaptizat. 37. 54. Arriani catholicos rebaptizant. 44. item Donatiſtæ. 53. 54. Maximianiſtæ & Primianiſtæ inter ſe non iterant baptiſmum. 55
Barnabas Carpocratianos damnat. 20
Baſilidiani. 18
Baſilius Epiſcopus contra Meletianos. 44
Byzaceni aſelliones. 53

C.

CÆciliani ordinatio. 53
Cæleſtinus Papa contra Neſtorium. 69. falſum ſub Auguſtini nomine librum damnat. 13
Cæleſtius Pelagii diſcipulus. 65. contra traducem peccati primus ſcribit. 66
Cælos CCCLXV dixere Baſilidiani. 18
Caiani ſeu Cainiani. 24
Carnis humanæ malam creaturam, animæ bonam, dicebat Bardeſanes. 33
Carnes abominantur Encratitæ. 28. non edunt Cathariſtæ Manichæi. 40. fugiunt Priſcilliani. 56. laudantur qui his abſtinent catholici. 29
Carpocratiani. 19
Caſtitatem Deo curæ non eſſe dicebat Simon. 17. Deo ſemper placuiſſe, & à Deo filio dedicatam docuit Ioannes Euang. contra Nicolaitas. 18
Caſtrant ſe ipſos & hoſpites ſuos Valeſii. 33
Cataphryges. 29
Cathari Novatiani. 33. 34
Cathariſtæ Manichæi. 40
Cerdoniani. 27
Cerinthiani. 20
CHRISTVS verus Deus & homo, vere natus, vere paſſus, falſitatis in ſe nihil habuit. 21. Virgine matre natus. 18
Chriſtum hominem tantum fuiſſe volunt, Cerinthus. 20. Ebionæi. 20. Theodotiani. 32. Paulus Samoſatenus, Artemon & Photinus. 36. 37. lapſus in perſecutione Theodotus, ne Deum negaſſe videretur, purum hominem Chriſtum dixit. 32
Chriſtum à Maria cœpiſſe, Paulus idem. 36. ex Maria nihil ſuſcepiſſe, Apollina-

Digitized by Google

linaris. 46. 47. tanquam per ſiſtulam tranſiiſſe, Valentiniani. 21
Chriſtum apparuiſſe in terris ſicut Gabrielem, non carne aſſumpta ſed viſa, Proclinianiſtæ. 48. nec natum ex femina, nec vere mortuum, ſed ſimulaſſe paſſionem, Cerdo. 27. non vere paſſum, ſed putative, Marcus. 21. ſimulatam carnis ſpeciem habuiſſe, Manichæi. 42. carnem ex elementis ſuſcepiſſe, quam aëri reddidit cum aſcendit, Apellitæ. 26. carnem in Sole poſuiſſe, Seleuciani. 48
Chriſtum carnem ſine anima ſuſcepiſſe, Arriani. 44. pro anima illi fuiſſe divinitatem, Apollinariſtæ. 46. ex utroque ſexu genitum, Carpocratiani. 19
Chriſtus Ophiratum, ſerpens 23. Manichæis ſerpens qui Adam illuminavit. 42. idem Pater & Spiritus S. Noetianis. 33
Chriſti divinitas nihil paſſa. 57. doluiſſe divinitatem docent Theoponitæ. 57. Chriſto apud inferos animas omnes credidiſſe & liberatas eſſe Adecerditæ. 59
Chriſtus pro omnibus natus, pro omnibus paſſus. 93 136
Cibum ita ut ab alio non videantur, ſumunt Adelophagi. 56
Circumcelliones velut monachi Donatiſtarum. 54
Circumciſionem & veteris Teſtamenti præcepta ſervanda contendunt Cerinthiani. 20. Nazareni, & Ebionæi. 20
Clemens Romanus Petri de Simone victoriam ſcribit. 14. 15. Marcum hæreticum confutat. 21
Colorbaſiani. 22
Coluthiani. 52
Communicant cum catholicis Proclinianiſtæ. 48. & Pelagiani. 66. cum omnibus hæreticis Rhetoriani. 56. cum Epiſcopis catholicis Audiani non communicant. 45
Concupiſcentia quid Manichæis. 43
Conjugium æquant virginitati Iovinianiſtæ. 61. uxores quas poſſunt à viris ſeparant Priſcilliani. 56. conjugibus utentes in communionem non recipiunt Apoſtolici. 34. nec niſi abſtinentes à conjugio Aëriani. 46. conjugii expertes ſolos Hieracitæ, 44. conjugibus non utuntur Abeloitæ. 64. conceptum in conjugio devitant Manichæi. 41. conjugibus indifferenter utendum docent Nicolaïtæ. 18
Conſtantius tractator. 66
Corporis partes inferiores à Diabolo factas dicunt Paterniani. 62
Craton Epiſc. Syrorum. 32
Cyprianus de lapſis contra Novatum. 34
Cyrillus Alex. contra Neſtorium. 68

D.

DAmaſi Papæ de Venuſtianis relatio ad Valentinianum Imp. 62
DEUS dividi non poteſt, 25. conditor mundi, contra

Menandrum & Saturninum. 19
Deum triformem faciunt Triſcilidæ. 57. mala & bona creaſſe ajunt Coluthiani. 52. Deos duos introducunt Apellitæ. 26. duos item Cerdoniani. 27. & Manichæi. 38
Diabolus omne peccatum vult & deſiderat. 99. hominem non vincit, niſi quando à ſuo receſſerit defenſore. 137
Diodorus Epiſc. Cretenſis. 21. Nicomediæ. 48
Dionyſius Epiſc. Hieroſolymorum. 32
Dioſcorus Epiſcopus Cretenſis 25
Divitiarum prætextu cum Epiſcopis catholicis non communicant Audiani. 45
Dominica die, etſi Paſcha ſit, jejunant Teſſareſcædecatitæ. 31
Donatiſtæ. 53. Carthagine Donatiſtæ, Montenſes in Italia, in Numidia Parmeniani. 54. ſchiſma inter ipſos. 55
Doſitheus Ep. Seleuciæ. 35

E.

EBionæi. 20, 32
Eccleſiæ ſeptem in ſeptiformi ſpiritu conſecratæ. 22. in Eccleſia ſilentium ſervant Paſſalornychitæ. 50. 51
Encratitæ, Tatiani. 28
Ephrem preſbyter Syrus. 47
Epiphanius Ep. Ancyræ. 28
Epiphanius, cujus categorica contra ſectas 17. 32. 32. 35. 45. 47. 61. 62. Artotyritas cum Pepuzianis jungit. 31
Evander Ep. Nicomediæ. 23
Euchariſtiam Ophitarum coluber ſanctificat. 23. ſemine humano polluunt Manichæi. 39
Euchitæ, Meſſaliani. 47
Eunomiani. 45
Euphranon Rhodi Epiſc. 27
Euſebius Cæſarienſis. 25. 61
Euſtachius Ep. Lilybæi. 23

F.

FIlium Dei ex eo genuit pater ex quo eſt. 59. ejuſdem cum patre eſſentiæ negant Arriani. 44 diſſimilis eſſentiæ dicunt Eunomiani. 45. & Aëtiani. 46
Filium Arriani creaturam Patris dicunt, Spiritum S. creaturam creaturæ, id eſt filii. 44. in Patre eſſe Metangiſmonitæ ſicut vas minus intra vas majus. 47. 48
Floriani. 52

G.

GAlliam ingreſſi Heluidiani. 62
Gnoſtici. 19
Gregor. Theologus Theoponitas refellit, 57. & Triſcilidas. 57. Homuncionitas. 58
Gymnopodæ. 53

H.

HÆreticos omnes recte apud Deum incedere docent, & cum omnibus communicant Rhetoriani. 56. venientes Eccleſia non rebaptizat. 37. 54
Helceſei. 32
Heluidiani. 62
Heracleonitæ. 22. 23
Heraclianus Comes Africæ. 55
Herbas & arbores vitam habe-

be-

bere credunt Manich. 41
Hermogeniani, Sabelliani. 34. 35
Heſiodus de Hæreſibus. 17. 61. Epiſcopus Corinthiorum. 45. ejus precibus Arrius perit. 45
Hieracitæ. 43
Hieronymus preſbyter contra Iovinianum. 61. contra Heluidium. 62. contra Pelagianos. 66
Hiſpaniam infeſtant Priſcilliani. 55
Homuncionitæ. 58
Hydrotheitæ.. 58
Hygini Ecdiceſis contra Hæreſiarchas. 17

I.

IEjunia ſtatuta celebranda non eſſe docent Aëriani. 46. jejunia vel à cibis abſtinentiam nihil prodeſſe, Iovinianiſtæ. 60. jejunium diei Dominici. 31
Imaginem Dei in corpore ſtatuunt Homuncionitæ. 58. Imagines Ieſu, Pauli, & Pythagoræ adorandas proponit Marcellina. 19
Incarnationem Chriſti quibus argumentis impugnent Proclinianiſtæ. 48. 49
Innocentius Papa Pelagium & Cæleſtium damnat. 65. 66
Ioannes Euang. Nicolaitas damnat. 18. ejus Euangelium & Apocalypſim non recipiunt Alogii. 31
Ioannes Chryſoſtomus quo pacto Quartadecimanos obtinuerit. 31
Iovinianiſtæ. 60
Iovinianus cur uxorem habere noluerit. 61. ignominioſe per urbem circumductus. 61
Iudas traditor cum Caino in honore apud Cainianos. 24. initio bonus fuit, & factus eſt traditor. non quia talem illum prædeſtinavit Deus, ſed quia negligens fuit, cecidit. 101, &c.

L.

LActis alimonia non utuntur Manichæi. 40
Legem ſic miſiſſe ad regnum ſicut Euangelium, docuit Pelagius. 65
Linus Papa Menandrum condemnat. 17
Luciferianum ſchiſma. 60

M.

MAcedoniani, Pneumatomachi. 46
Malum unde Seleucianis. 48
Manes Perſa, Manichæus. 37. Apoſtolum ſe Ieſu Chriſti vocat. 42. Manichæorum fabuloſa dogmata. 38. &c. Electi & Auditores. 38. naves duæ Sol & Luna. 38. 39 Tria eorum genera. 40. Magiſtri XII. Epiſcopi LXXII. 42
Marcellina Carpocratianorum. 19
Marcionitæ in Oriente ſuperati ab Origene, à Tertulliano in Africa. 26
Marcoſii. 21
MARIAM poſt Chriſtum natum viro commixtam, dicunt Antidicomaritæ. 47. de Ioſeph poſt Chriſtum alios filios peperiſſe, Heluidiani. 62. pariendo violatam ejus virginitatem, Iovinianiſtæ. 60. θεοτόκον negat Neſtorius, ſed χριστοτόκον. 68
Mathematici aſtrologi. 56. his

his dant manus Prædeſtinati. 83
Maximus tyrannus. 63
Melchiſedechiani non hominem, ſed Dei virtutem aſſerunt Melchiſedech. 32
Meletiani ſchiſmatici. 44
Menandirani. 17
Meſſaliani, Euchitæ. 47
Metangiſmonitæ. 47
Metatores Antichriſti. 70
147
Monachos qui aliquid artis operentur damnant Euchitæ. 47
Montanus princeps Cataphrygum. 29
Mulieres ſacerdotio honorant Pepuziani. 30
Mundum à Deo factum negat Simon. 17. ab Angelis factum docet Menander. 17. item Cerinthus. 20. ab Angelis ſeptem, Saturniniani. 19. ex profundi & alti conjugio, Valentiniani. 20. 21. à principibus, Archontici. 25. à maligno principe Priſcilliani. 55. materiam de qua factus eſt, Deo coæternam dicunt Seleuciani. 48
Mundos innumerabiles ponunt Ametritæ. 59

N.

NAzareni. 28
Neſtoriani. 68
Neſtorii pertinacia. 68
Nicolaitæ. 18
Noëtiani. 33
Nuditatem Adæ imitantur Adamiani. 31. nudis pedibus ſemper ambulant Gymnopodæ. 53
Nuptiarum benedictio. 151
Nuptias & conjugia damnant Encratitæ. 28. averſantur Adamiani. 31. damnant & Manichæi. 41. Secundas nuptias damnant Cataphryges. 64. item Cathari. 33

O.

OBlatio panis & caſei Artotyritarum. 31. aquam offerunt Aquarii. 51. offerendum pro dormientibus negant Aëriani. 46
Occidunt ſe ipſos & occidere cogunt Patriciani & Donatiſtæ. 50. 54
Octaviana Tertullianiſta. 63
Ophitæ. 23
Optatus contra Parmenianum. 37
Orant jugiter Euchitæ. 47. orantes ſtant Manichæi. 43. per diem ad ſolem, per noctem ad lunam, vel ad Aquilonem. 43
Origenes Marcionitas confutat. 25. 26. & Apellitas. 26. Arabicos convertit. 52. Periodeutes hæreticorum cauſa factus. 26. ejus libri ab hæreticis corrupti. 26. illis admixta quæ hæreticorum ejuſdem nominis erant. 35
Origeniani ab Origene Syro. 35. alii. 35
Originale peccatum, ſeu traducem, primus impugnat Cæleſtius. 66. refellitur. 67
Ova non edunt Manichæi. 40

P.

PAmphili apologeticum pro Origene. 26. 36
Papias preſbyter Achajæ. 32
Paracletum miſſum in Montanum jactant Cataphryges. 29. in Manichæum

Ma-

Manichæi. 42
Paradiſum & cælos allegorice dicta volunt Origeniani. 35. paradiſum viſibilem negant Seleuciani. 48
Parmeniani, Donatiſtæ. 37
Parvulos ad regnum cælorum pertinere negant Hieracitæ. 43
Paſcha quolibet die ſeptimanæ celebrant Teſſareſcædecatitæ. 31
Paſſalorynchitæ. 50
Paterniani, Venuſtiani. 62
Patriciani. 50
Paulinus diaconus, defenſor Eccleſiæ Mediolanenſis, Cæleſtio reſiſtit in Africa. 65
Paulus perſequens Eccleſiam, non Cain malitia, ſed zelo Eliæ. 103. ideo miſericordiam conſecutus. 104. carnalem ſe in aliena perſona vocat. 124
Paulus Samoſatenus. 36
Peccatorum origo ſecundum Manichæos. 43
Peccata omnia æqualia faciunt Iovinianiſtæ. 60. ſine peccato poſſe homines eſſe ſola vi naturæ, docent Pelagiani. 65. refelluntur. 66. peccata ſuis nihil obfutura dicebat Aëtius. 46
Pelagiani. 65. Pelagii verba in epiſtolam ad Romanos. 66
Pepuziani. 30. à Pepuza villa Montani, quam Hieruſalem vocabant. 30
Perigenes Argûs Epiſcopus. 24
Periodeutes Origenes. 26
Philaſter de hæreſibus. 17. 47. 56
Philo Epiſcopus. 31
Photiniani. 37
Pœnitentiam denegant Novatiani. 33
Polycarpus preſbyter contra Adamianos. 32
Polycrates de hæreſibus. 17. 61
Poſſibilitas boni & poſſibilitas mali. 148
Prædeſtinati Auguſtini nomen mentiti. 69. librum ſub ejus nomine confingunt. 13. in & modum ſymboli dant ſub ſacramento. 82. 145. ſollicitudinem timendi adimunt juſtis, & ſpem peccatoribus. 12
Prædeſtinatorum dogmata 11. 12. 69. libro ſecundo exponuntur. 71. in tertio confutantur. 83
Praxeani, Sabelliani. 34
Preſbyterum ab Epiſcopo non diſcernunt Aëriani. 46
Principia duo ſtatuit Marcion, boni & mali. 25. duo item ſibi adverſantia Cerdo. 27. & Manichæi. 38. alii tria conſtituunt. 25
Priſcilliani. 55
Proclinianiſtæ. 48
Prophetas veteris Teſtamenti reſpuunt Carpocratiani. 19. verum Deum fuiſſe qui illis locutus eſt negant Manichæi. 42
Pſeudocaſti Valentiniani. 21
Ptolemeitæ hær. 21

R.

Reſtituta Eccleſia Carthagine. 40
Reſurrectionem corporum negant Carpocratiani. 19. Valentiniani. 21. Marcoſii. 21. Severiani. 27. Origeniani. 35. Hieracitæ. 43. futuram negant Se-

Seleuciani, quotidie fieri aſſerunt in generatione filiorum. 48. poſt reſurrectionem eodem in ſtatu quo nunc ſunt manſuros homines dicunt Satanniani. 53
Rhetoriani. 56

S.

Sabelliani. 34
Sabinianus preſbyter ab Alexandro Papa miſſus in Siciliam contra Heracleonitas. 23
Sacerdotium feminis quoque delatum à Pepuzianis. 30
Saclas pater Adami & Evæ Manichæis. 41
Sanctimoniales quædam Romæ audito Ioviniano nubunt. 61
Satanniani. 53
Secundiani. 21
Seleuciani. 48
Serpens Ophitarum Chriſtus. 23. Serpentem, qui primos parentes illuminavit, Chriſtum dicunt Manichæi. 42
Sethiani. 24
Severiani. 27
Silentium Paſſalorynchitarum. 51
Simon princeps hæreticorum. 14. 70.
Siricius Papa. 62
Soter Papa contra Cataphrygas ſcribit. 30. 63
Spiritum ſanctum Chriſti creaturam dicunt Origeniani. 35. item Arriani. 44. non Deum ſed creaturam Macedoniani. 46
Stellas ſeptem vitæ hominum præſides docet Colorbaſius. 22. ſtellis fatalibus homines alligant Priſcilliani. 56
Synodus Epiſcoporum ſeptem in Aſia. 22. Epiſcoporum Siciliæ contra Heracleonitas. 23. Epiſcoporum XXXII. apud Antiochiam contra Cainianos. 24. Achajæ contra Valeſios. 33. Epiſcoporum XX. in Achaja contra Aëtium. 46. Antiochiæ contra Apollinarem 47. Epheſina contra Neſtorium. 69

T.

Tatiani, Encratitæ. 28
Tertullianus Marcionitas convincit. 26. Proclinianiſtas refellit. 49. Montanum defendit. 64. contra Soterem Papam & Apollonium pro illo ſcribit. 30. animam ex traduce naſci docet. 30. 64. Catholicos pſychicos vocat. 64
Tertullianiſtæ. 63. Baſilica illorum Carthagine reddita Catholicis. 63. Romæ Eccleſiam adepti. 63
Teſſareſcædecatitæ. 31
Teſtamentum vetus reſpuunt Severiani. 27
Theocritus Epiſcopus Cappadox. 33. Chalcedonis. 23
Theodorus Epiſcopus Antiochiæ. 24. Panormi. 23
Theodorus contra Florianos. 52
Theodotiani. 32
Theodotus Epiſcopus Cypri. 47. Pergami. 22
Theophilus Epiſcopus Apameæ. 34
Theoponitæ. 57
Thomas Saturninianos damnat. 19
Tranquillus Chalcidis Epiſcopus. 33
Trinitatem negat Sabellius. 35. deſtruit Donatus. 54
Tri-

Triſcilidæ. 57
Turpitudinis adſertor Carpocrates. 19. & Secundiani. 21. & Paterniani. 62

V.

Valentiniani. 20
Valeſii. 33
Venuſtiani, Paterniani. 62
Verbum Dei filium negant Alogii. 31. Verbum & carnem ejuſdem ſubſtantiæ dicunt Apollinariſtæ. 46
Vinum Aquarii offerre cur recuſent. 51. ut ex ſemine Satanæ procreatum. reſpuunt Severiani. 27. non bibunt Manichæi, fel eſſe dicentes principis tenebrarum. 40. vini non uſus neceſſarius, ſed nimietas culpanda. 28. 51
Virginitati conjugium æquant Iovinianiſtæ. 61
Vrſus Tribunus Carthagine. 40
Vtres Aſcitarum. 50
Vvas comedunt Manichæi, muſtum non attingunt. 40

X.

Xyſtus Epiſcopus & Martyr contra Novatum ſcribit. 34

Z.

Zacchæus Epiſcopus Cæſarienſis refutat Valentinianos. 21. & Ptolemeitas. 21

LECTORI.

Indicem in libro primo expoſcere viſa eſt rerum varietas & copia, in reliquis duobus non item, cum utriuſque idem ſit argumentum, & tertius ſecundi refutationem contineat. in qua quidem, quo ſingula membra ſpectent, numeri ad oram adſcripti mutuo ſibi reſpondentes indicabunt. Pro alogiis autem, hoc eſt pro lineis lemniſcatis, quibus Auctor adverſarii verba ſubnotarat & quæ reipſa in Hincmari codice repræſentantur, aliis notis uſus eſt Typographus noſter, quas in re ſimili, dum aliorum dicta proferuntur, uſurpare vulgo ſolent.

Digitized by Google

PRÆDESTINATI,

E veteri Manuſcripto à P. SIRMVNDO nuper editi,

CENSVRA.

In qua oſtenditur nullam fuiſſe unquam Prædeſtinatorum hæreſin.

AVCTORE AVVRÆO,
Theologiæ Doctore Sorbonico.

Converſa è Gallico.

Audite verbum Domini, viri illuſores, dixiſtis enim: Poſuimus mendacium ſpem noſtram, & mendacio protecti ſumus. Iſaiæ 28.

Anno M DC XLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRÆDESTINATI,

E veteri Manuſcripto à P. Sirmundo nuper editi,

CENSVRA.

In qua oſtenditur nullam fuiſſe unquam Prædeſtinatorum hæreſin.

EDitus eſt nuper à P. Sirmundo liber, cujus ſolo titulo veritatis amantes illecti fuerunt: cùm enim nullum præferret nomen, nec fortaſſe ullum umquam habuiſſet, Prædeſtinati titulum auctoritate privatâ dedit, ut inde nimirum hominum curioſitatem excitaret, quo tempore tot ſermones de Prædeſtinatione & de Gratia ubique ſeruntur: monet autem in limine opus eſſe ante annos mille & ducentos conditum, in quo continetur explicatio & refutatio Hæreſis Prædeſtinatorum, atque adeo libri quem compoſuerant, præfixo, ut erroribus ſuis fundamentum ſternerent, S. Auguſtini nomine. Sed quoniam non incelebres auctores conjecturas & argumenta valida protulere, quibus oſtenderent, fictam prædeſtinatorum hæreſin fuiſſe commentum Semipelagianorum, qui prædeſtinatos appellitaverunt Catholicos doctrinæ ſancti Auguſtini propugnatores, errores illis & impia dogmata per calumniam referentes, quæ perperam ab ipſis illata, eadem fermè ſunt quibus hodie rurſum inferendis ſudant nonnulli. Ideo, inquam,

magno omnium gaudio prodiit primùm liber, qui lucem in re iſtâ novam pollicebatur exoptantibus unicam, refugientibuſque tenebras, quas ingeniis nonnullorum miſerè offundunt ambitio, ira, præpoſterus amor ſententiam tuendi propriam, & veteribus erroribus immoriendi. Spem verò conceptam, quid ſolidius circa ſubjectam materiam comperiundi, auxerunt tot ſplendidæ pollicitationes Præfationis Sirmundianæ. Poſtquam enim inſurrexit in opinionem illorum qui putãt Hæreſim Prædeſtinatorum puram putam fuiſſe Semipelagianorum calumniam , *peregrinam eam* , *& eruditorum auribus inſolentem pronuncians* ; ut *ſuſpiciones & hujuſcemodi cogitationes ſemel evellat*, dicit à ſe procuratam editionem auctoris, cujus certum adeo & indubitatum judicium habet, ut *verum amantibus adversùs illum præſcribere, vel excipere non liceat*; ut *notiores Prædeſtinati*, *vel perſpecta magis eorum dogmata, eſſe nemini potuerint, quàm homini qui cum illis aſſiduè verſabatur, cum iiſdem manus ſæpe conſerebat, quem unum illi præ omnibus refugiebant & reformidabant adverſarium*; *atque ita nihil certius*, *nihil apertius quàm falli eos, qui Prædeſtinatorum propriam hæreſim nullam fuiſſe contendunt.* Quæ quidem confidens adeo aſſeveratio impenſius , fateor, me compulit qui librum pervolverem. aſt ubi attentiſſimè perlegi totum, ita mirari tantam confidentiam ſubiit, ut nihil conjicere benignius potuerim quàm aut virum optimum aliis fuiſſe diſtrictiſſimum curis cum MS. ſuum legeret , aut nunquam forſan abs ſe lectum, ſed traditum homini imperito, cujus judicio innixus magni fecit, vulgavitque, tanquam opus aliquod perrarum, oraculi vice doctorum lites compoſiturum , atque ſupremâ auctoritate ſuâ ſilentium omnibus indicturum. Ego enim ex adverſo

auſim

auſim contendere, librum iſtum erroribus, hæreſibus, mendaciis, fœdâ ignorantiâ, abſurditatibuſque plenum, haud idoneum extitiſſe, non dicam qui judex conſtituatur, ſed qui in re ullâ vel minimâ teſtimonium perhibere poſſit. Nam cum Semipelagianus, & unà Pelagianus ſit, utriuſque hæreſis portenta longè ſæpius exſuperans, adeo ineptus videtur P. Sirmundi propoſito, ut contrarium potius probet, atque ſententiam confirmet exiſtimantium Hæreſim Prædeſtinatorum, quam liber iſte cæco impetu oppugnat, nihil aliud fuiſſe quàm ſpectrum & μορμολυκεῖον, quo doctrinæ Auguſtinianæ hoſtes uſi ſunt in opprobrium Eccleſiæ & Catholicorum huic firmiter adhærentium. Quæ quidem in hac Diſſertatione palam facienda ſuſcepi: Gallicè autem à me perſcripta eſt, ut Latinè neſcientibus ſubvenirem, quos terrere nimis multi quotidie conantur ſermonibus exclamationibuſq; ſuis, tum Excerptis veteribuſq; monumentis, haut ſpiritum veritatis Chriſtianæ redolentibus, ſed ita conſutis ut perſpicuè prodãt ſeculum hæreſeωs, atque in primis Semipelagianorum, qui artibus hiſce dum inclaruerunt, archetypa meritò çẽſeri poſſunt illorum qui eadem via ad famam hodie graſſantur.

CAPUT I.

Libri illius errores, Hæreſis, & Portenta.

I. AIt, S. Paulum, cùm Eccleſiam perſequeretur, non peccaſſe; quia ducebatur ignorantiâ. Apud illum enim, *Vbi ignorantia eſt, crimen eſſe non poteſt. Per obſcurum autem ignorantiæ ambulans Paulus, putabat ſe inimicum Domini ſui perſequi.* Quod non ſolùm contra Scripturam eſt, & contra Paulum ipſum, qui toties peccatum ſuum fatetur & pro-

Digitized by Google

palat, ſed Dogma fuit Pelagianorum, in Concilio Palæſtinæ damnatum. *Oblivionem & ignorantiam non ſubjacere peccato, quoniam non ſecundùm voluntatem eveniunt, ſed ſecundùm neceſſitatem.* Quam ſententiam eo adactus fuit Pelagius ut improbaret, & anathematizaret, tanquam errorem *S. Concilio & S. Eccleſiæ Catholicæ contrarium*, ne ipſe anathematis fulmine percuteretur; prout teſtatur S. Auguſtinus, & ab Hieronymo confirmata fuit erroris illius damnatio.

II. Nec tantùm ſine peccato Paulum Eccleſiam vaſtaſſe profert, verùm *zelo Dei ductum Heliam ſecutum eſſe; animum Heliæ habuiſſe; Heliæ animo devaſtaſſe; Heliæ imitatorem fidum extitiſſe, cujus intra ſe ſpiritum gerebat*; nec Heliæ ſolius, *ſed Abrahæ quoque Iſaaci & Iacobi zelo incenſum fuiſſe.* Atque ut propius oſtendat zelum iſtum nec præpoſterum nec cæcum fuiſſe, addit, *Prudentiſſimum virum atque ſapientiſſimum ſibi conſcium fuiſſe zeli Dei quo agebat, pro fide enim Dei & pro veritate cucurriſſe.* Ejus autem ignorantiam non ex propriâ, ſed ex alienâ incredulitate manaſſe; *patiebatur enim*, ait, *noctem, cujus ei obſcurum fecerat incredulitas Sacerdotum. Paſſus obſcuritatem ſacerdotum ſuorum, quibus legis divinæ imperio fidem ſuam teſtimonium dantibus exhibebat. Velut bonus cuſtos vineæ Domini Sabaoth domus Iſrael, velut bonus circitor, adprehenſo baculo, per noctem ignorantiæ circumibat, ut quoſcumque inveniret legentes vindemiam Domini, Heliæ animo devaſtaret. Servo itaque bono pro domini ſui vinea vigilanti, ſervo zelo fidei perſequenti, ſervo Heliam imitanti, ſervo cui ut pro veritate uſque ad mortem certaret juſſerat, Deum ſe patefeciſſe.* Fuiſſe enim Paulum ſimilem ſervo, qui dum per noctis caliginem herum ſuum, quia latronem eſſe putat, ſtricto inſequitur gladio, *laudem meretur & præmium. Ita ergo tunc beatum*

tum Paulum miſſum à ſacerdotibus Dei, jam meritis Apoſtolicis plenum, vas electionis extitiſſe, intra ſe habens ſpiritum Heliæ. Etſi autem Deum ipſum tamquam latronem perſequeretur, *juſtum Dominum in hac ipſa ſibi perſecutione quam ipſe patiebatur pro ſuâ juſtitiâ complacuiſſe, quia ipſe dederat legem quam ille ſervabat. Non igitur uſum acceptione perſonæ cùm adprehendit nolentem, & fecit volentem, adprehendit infidelem, & fecit fidelem, adprehendit inimicum, & fecit amicum, adprehendit malum, & fecit bonum: ſed ſuum fidelem, & pro ſe laborantem adloquutum dixiſſe, quid me perſequeris?* Denique *Paulum non ab infidelitate ad fidem veniſſe, ſed ipſam fidem quam jure habuerat* (hoc eſt, ex principiis hujus auctoris, *quam meruerat) conſervaſſe. Juſtum ergo Dominum ſervum ſuum cognoviſſe, ſecundùm quod ipſe Apoſtolus ad Timotheum dicit; cognoſcit Dominus qui ſunt ejus. Deum autem cordis inſpectorem & fidei contemplatorem feciſſe eum miſericordiam invenire, quia ignorantiam ejus innocentia comprobabat.* Quæ ego cuncta deliria, Pelagianis ſanè majora, in medium protuli, ut palam fiat omnibus, quantam demeruerit gratiam P. Sirmundus, præclari adeo libri publicatione, quanti vero ducendum ſit judicium quod de ſcripto abſurdiſſimo tulit. Non ſolum enim affirmat, Paulum cùm Eccleſiam perſequeretur non peccaſſe, atque facinus fuiſſe laudandum; ſed ne veretur quidem conferre facinus & zelum Pauli zelo Heliæ, præſtantiſſimorumque Patriarcharum: immò Paulum tunc virtutibus & meritis fuiſſe plenum Apoſtolicis tuetur; fidem præcellentem habuiſſe, quâ juſtitiam Dei eo impulit, ut tanquam ſervus fidelis amplecteretur.

Cum tamen Paulus fateatur *nequaquam ſe dignum eſſe qui Apoſtolus nominaretur*, etiam condonato delicto; *quia Eccleſiam Dei perſecutus erat.* Cujus 1 Cor. 15.

1 Tim. 1. peccati tantum reputavit flagitium, ut *primum ſe peccatorum* pronuntiaret, *ſe blaſphemum, perſecutorem, & injuriis alios afficientem fuiſſe*: non quidem ut hiſce verbis bona opera, & heroïcum ſuum zelum extolleret, inepti hujus auctoris inſtar; ſed ut ingenua criminis confeſſione humilem ſe præſtaret. Cum dicat tandem *miſericordiam ſe accepiſſe quia ignorans fecerat in incredulitate*, nondum verò fidelis, prout contendit auctor P. Sirmundi.

III. Ait, *Deum cunctos homines ante adventum ſuum prædeſtinaſſe. Omnes gentes prædeſtinaſſe ad vitam. Omnes prædeſtinaſſe ad bonum. Quare non diffitetur ſolos prædeſtinatos vocari*; cum nulli ſint ex eo niſi prædeſtinati. Quod ita inauditum, ut neſciam an ulli unquam fuerint hæretici qui talia protulerint. Ex illo enim dogmate ſequitur nullos fore reprobos; aut dicendum erit reprobos omnes eſſe prædeſtinatos; & ita quotidie prædeſtinatorum nonnullos recta ire ad damnationem, atque damnatos è prædeſtinatis tantum deſumi; quod contra communem Chriſtianorum ſenſum facit. Sed illi tam videtur hoc paradoxum ut non reformidet ad blaſphemiam uſque protrahere, affirmans *hominem poſſe prædeſtinationem ſuâ averſatione contemnere*, hoc eſt, prohibere ne ad actum ſuum perveniat. Cum ex adverſo hucuſque Eccleſia Theologique omnes exiſtimarint prædeſtinationem divinam infallibilem & immutabilem eſſe, cælos & terram tranſituros, ne verbulum, aut Dei propoſitum ullum defuturum unquam, quia Dei verbum manet in æternum, neque poteſt quidquam ejus voluntati reſiſtere, quemadmodum Scriptura loquitur.

IV. Verùm auctoris animus ab uno extremo ad aliud tranſit, nec id tantùm permittit, ut Deus dicatur homines ad vitam, vel ad mortem æter-

nam

nam prædeſtinaſſe, præviſis eorum bonis, maliſve operibus: *prædeſtinaſſe ad mortem illos quorum prævidit impœnitentiam; prædeſtinaſſe ad vitam illos quorum præviſa fuit converſio.* Atque ita in hanc doctrinam invehitur, ac ſi juſtitiam & bonitatem Dei everteret. Adeo enim cæcutit, ut putet Deum fore injuſtum, ſi mortem Inferorum, aut vitam Cæli nondum nato homini præordinet, propter malum aut bonum quod in eo futurum prævidet. Quod cum ſententiâ Catholicorum univerſorum pugnat, necnon Ieſuitarum ipſorum, cùm nemo ſit in Eccleſiâ qui negare audeat, Deum ab æterno paraſſe gloriam cæleſtem illis quorum vitam virtuti conſentaneam prævidit, pœnas verò inferorum in impœnitentiâ morituris, quæ in Euangelio tam clarè docentur fidei & rationis luce demonſtrata, ut utrâque prorſus carere debeat qui inficias ire velit.

V. Ait, verba iſta Apoſtoli, *Lex eſt ſpiritualis, ego verò ſum carnalis, venditus ut ſubjicerer peccato*, non poſſe intelligi de Apoſtolo ipſo. *Conſtat ergo*, inquit, *quod non ſuam Apoſtolus, ſed alterius, id eſt, carnalis viri, voluit hoc loco declarare perſonam. Ille eſt venundatus ſub peccato, qui adhuc ſanguine Chriſti redemptus non eſt.* S. Auguſtinus autem hanc expoſitionem impugnavit veluti unicum Pelagianorum refugium, qui ea utebantur ut confirmarent concupiſcentiam baptizatorum nequaquam eſſe peccati originalis effectum. *Nolunt Pelagiani*, ait ille, *ipſum Apoſtolum intelligi, ſed quod in ſe alium transfiguravit hominem ſub lege adhuc poſitum, nondum per gratiam liberatum.* Aug. lib. I ad Bonif. cap. 8, & 9.

VI. Ait, hominem baptizatum *non videre amplius aliam legem in membris ſuis*, contrariam Legi Spiritus; *& ſolam legem Chriſti in ſe habere.* Quæ eſt doctrina ipſa Iuliani, aliorumque Pelagianorum, quam S. Auguſtinus editis libris confutavit, Serm. 5. de verb. Apoſt.

 tanquam

tanquam Scripturas evertentem atque una Eccleſiæ fidem, ſanctorum illuſtriorum experientiam, & communem fidelium ſenſum, quorum nullus non eſſet *æquè Angelis juſtus*, juxta Auguſtinum, *Si nullam haberent concupiſcentiam.*

VII. Ex mero hauſit Pelagianiſmo, concupiſcentiam, quæ in baptizatis reperitur in primis fuiſſe parentibus noſtris antequam peccaſſent, *Ante quam de ligno prævaricationis guſtaſſent. Sine ea autem multiplicari non potuiſſe genus humanum. Nec primum hominem membra ſua per peccatum pudenda reddidiſſe.* Quod evertit Scripturam, Concilia, & Eccleſiæ univerſæ conſenſum.

VIII. Addit præterea Pelagianus omnino, Concupiſcentiam illam baptizatorum *à Deo viſceraliter eſſe firmatam; eſſe rem naturalis certaminis. Hunc concupiſcentiæ motum, ſicut cætera alia membra, nos à creatore ſuſcepiſſe; nec in membris noſtris aliud ineſſe quàm quod Deus indidit, non autem quod adverſarius inſuper addidit.*

IX. *Si hoc non eſt in membris,* ait, *quod Deus condidit, & ſuper fabricam Dei inimicus apparuit, maledictæ ſunt nuptiæ, & ex maledictione univerſa humani generis maſſa veniens diabolo auctore ſubſiſtit.* Et hoc tandem modo concludit. *Vnum vobis eligite è duobus. Aut bona eſt generatio hominis, & bona eſt concupiſcentia: aut malæ ſunt nuptiæ, & iniqua concupiſcentia.* Qui ſermo adeo eſt Pelagiano conſentaneus, ut Iuliani ipſius eſſe
Lib. 2. in Iul. videatur, qui ita ratiocinatus eſt in S. Auguſtinum variis in locis, in quibus beatus ille vir miratur impudentiam, quâ tueri audet rem cæteros omnes pudore afficientem; & ignorantiam, quæ impedit ne ſeparet bona matrimonii, quorum Deus author exiſtit, à malis & miſeriis, quas peccatum introduxit.

X. Nec

X. Nec id tantùm putat, concupiſcentiam, in quam fideles pugnant, non eſſe malam; ſed originem virtutum ſtatuit; quemadmodum ex hiſce verbis conſtat, *Hanc vos dicitis legem peccati, ſed hanc nos legem generis comprobamus, quam vos criminis accuſatis: & hanc nos dicimus cauſam virtutum, quam vos vultis oſtendere materiam vitiorum.* Quapropter *charitatem* nominat, aitque *Deum aſſeruiſſe concupiſcentiæ charitatem:* quaſi dixiſſet, bonam morbi valetudinem, lucem tenebrarum dediſſe. Cum juxta ſanctum Auguſtinum, & Scripturam, charitas & concupiſcentia opponantur, eo modo quo morbus & ſanitas, quarum altera pari ſemper momento deprimitur dum altera attollitur.

XI. Vlterius pergit, nam collatâ concupiſcentiâ cum pedibus, manibus, cæteriſque hominis membris à Deo creatis, etiam cum Euchariſtiâ & Baptiſmo confert, atque his Sacramentis præferre videtur. Cum enim probarit concupiſcentiam non eſſe malam quamvis eâ abutamur, quemadmodum bonis abutimur interdum ſacramentis; ita concludit, *Quod ſi de tam ſanctis rebus* (nempe Sacramentis) *præſumptio reum facit, non actio, quantò magis in concupiſcentiâ, non actio ſuum ordinem, ſed extra ordinem vadens, vocatur in crimine.* Concupiſcentiam præſupponit quid ſanctius Sacramentis, cum minus eſſe juris putet ambigere, an ejus abuſus malus ſit, quam ipſorum abuſus ſacramentorum.

XII. Sed multò fit abſurdior, cum impios pronunciat diſſentientes, arbitranteſque concupiſcentiam oriri ex peccato. Hæc impietas, inquit, eſt à Prædeſtinatis inventa; id eſt, à Catholicis, contra quos ubique certat ſub hoc nomine ut odium ſuſcitet. Nec veretur affirmare, *novam eſſe per-*

perverſitatem conjugatorum concupiſcentiam pravam ducere.

XIII. Sed ſummus eſt apex dementiæ, cùm, affirmante ſancto Auguſtino adverſus Pelagianos totam concupiſcentiæ pravitatem conſiſtere in eo quod ſpiritui & rationi reſiſtit; *ideo indecentem, quia inobediens eſt; nec libidinem pudendam fore morbum, niſi nobis invitis membra moveat*; eximius tamen Theologus noſter ab inobedientiâ & rebellione concupiſcentiæ laudabiliorem ducit. Ita enim diſſerit ut probet eam virtutum omnium ſcaturiginem. *Nam cùm ejus adjutorium faciat parentes fœcundos in ſobole, hujus certamen & continentes præſtat & virgines glorioſas. Et ne alicubi hujus eſſe æſtimes detrimentum, majora repugnando quam adjuvando largitur: quia dum adjuvat fructum exhibet generis, dum repugnat confert præmium caſtitatis. Illic ſine culpa operatur, hic exercet pugnam cum munere. Tolle concupiſcentiam & ceſſant conjugia: tolle concupiſcentiam, & ceſſant præmia caſtitatis. Quale hoc, rogo, malum eſt, quod duplicis boni cauſa eſſe monſtratur? quod alios in generationis gaudio exhibet, alios in triumpho virtutis. Alii enim per eam operantur licitè, alii per eam dimicant glorioſè.* Eadem ratione laudare debebat tentationes, perſecutiones, & Diabolos, qui nobiſcum aſſiduè bellum gerunt, propter victorias quas fortiter reſiſtendo referimus. Laudare, inquam debebat peccata, & majoris abollæ crimina, quandoquidem Deus & Sancti bona inde eliciant quamplurima. Non conſtat veteres Pelagianos adeo abſurde fuiſſe ratiocinatos, atque pudenda res eſt P. Sirmundum nefarium adeo & ineptum librum publici juris facere auſum, non ſolùm lectores non præmonendo impietatum, ſed laudes immeritas tribuendo, quaſi liber ſit inculpandus & adverſariis ſuis reformidandus.

Lib. 1. de Nupt. cap. 6. Lib. 2. cap. 33.

XIV. Ait

XIV. Ait, Vſum matrimonii de ejus eſſe eſſentia, & à Deo ita ordinatum, ut *quemadmodum ſine conjunctione commixtio, ita abſque commixtione conjunctio eſſe nequeat.* Quæ eſt opinio Pelagiana, & ſurculus ſuperiorum dogmatum de bonitate concupiſcentiæ. Iulianus haud abſimiliter philoſophatus eſt, cum ſanctus Auguſtinus exprobret illi ſententiam hujuſcemodi, *Nihil aliud eſſe nuptias, quàm corporum commixtionem; ita ut nullum fuerit matrimonium inter S. Ioſephum & B. Virginem, quia defuerit concubitus,* & vita per continentiam acta fuerit tota. Lib. 5 cõt. Iul. cap. 16.

XV. Ait, *Abelem, Enochum, Noam, Sem, Iapheth, Melchiſedechum, Abrahamum, Iſaacum, Iacobum, & cæteros placuiſſe Deo lege naturali, id eſt, ratione, & legis naturalis inſtinctu.* Hoc è Fauſto deſumptum, qui ſcripſit pariter merus Pelagianus, Abelem, Enochum, & Noam Deo placuiſſe lumine & inſtinctu legis naturalis, quam in ſe ipſis habebant. Quod è præcipuis eſt Pelagianiſmis, quorum ergo à Patribus damnatus fuerit, ut Scripturas evertens, quæ teſtantur neminem poſſe placere Deo ſine fide, fidem ex ſola revelatione & gratia manare. Quem errorẽ Concilium II Arauſionenſe, eo fine congregatum ut Pelagianiſmi reliquiæ & Semipelagianiſmi plantaria authoritate ſanctæ Sedis ex Eccleſiâ evellerentur, his verbis damnat, *Prædicare debemus & credere, quod per peccatum primi hominis ita inclinatum & attenuatum fuerit liberum arbitrium, ut nullus poſtea aut diligere Deum, ſicut oportuit, aut credere in Deum, operari propter Deum, quod bonum eſt, poſſit, niſi gratia eum & miſericordia divina prævenerit. Vnde Abel juſto, & Noë, & Abraham, & Iſaac, & Iacob, omnique antiquorum ſanctorum multitudini, illam præclaram fidem, quam in ipſorum laudem prædicat Apoſtolus Paulus,*

lus, non per bonum naturæ, quod prius in Adam datum fuerat, ſed per gratiam Dei, credimus fuiſſe collatam.

XVI. Omnino funditus evertit gratiam Chriſti, nec modò tanquam ſemipelagianus, ſed de ea tamquam Pelagianus apertus eſt locutus. Solam enim ſacramentorum gratiam agnoſcit: atque aliam quamcumque gratiam nihil aliud eſſe putat, præter voluntatem quam Deus habuit nos ſalvos faciendi, & pro nobis moriendi, antequam pro eo aliquid egiſſemus, ante inſtitutiones, adhortationes, promiſſa, minas, quibus ad ejus cultum vocamur. *Memores eſtote,* ait, *quia vobiſcum dicimus, Antecedit gratia Dei hominis voluntatem, antecedit, quia non petentibus, non rogantibus, non etiam volentibus, nobis, venit filius Dei univerſum mundum à morte eripere, & ut aſcenderet ad Deum homo, ſicut jam diximus, Deus deſcendit ad hominem. Venit invitare eſurientes ad epulas, ſitientes ad fontem &c. Ecce hoc loco docemus, quod antecedit gratia Dei voluntatem hominis &c. Gratia enim quæ anteceſſit, oſtendit quid petas, quem petas, oſtendit quid quæras, qualiter quæras, ubi quæras: oſtendit quid pulſes, ubi pulſes, qualiter pulſes.* Et alibi probans gratiam prævenire voluntatem, hoc modo loquitur, *Neſcitis enim quid velis, niſi te ipſe & per ſe, & per ſuos, & vocaret, & ut peteres, & qualiter peteres edoceret.* Quibus ſermonibus apparet illum Gratiam prævenientem conſtituere in mediis tantùm, quibus Deus teſtatur amorem quo nos dignatur, quibus oſtendit, & docet quæ à nobis agenda ſint, quibus hortatur ad executionem mandatorum, ſive relicto in ſcriptura verbo, ſive per miniſtros ſignificato. Nam quod in verbo ſpeciatim gratiam illam ponat, apertiùs adhuc declarat ubi ait, *jam gratiam poſitam, ſicut ſcriptum eſt, in medio terræ, clamare, Venite. Hunc ſermonem Dei anticipare venientem; Petite, hunc ſermonem anticipare*

pare petiturum: Quærite, hunc ſermonem anticipare quæſiturum; Pulſate, hunc ſermonem anticipare pulſaturum. Conſtat igitur Gratiam quâ Deus voluntates noſtras prævenit, noſque ad Iuſtitiam & in Eccleſiam ducit, in duobus tantùm, ex iſto auctore conſiſtere, in voluntate ſcilicet nos ſalvandi, & pro nobis mortem obeundi, & in verbo, quo nos docet, hortatur, excitat tum promiſſis, tum minis.

Gratiam in omnibus parem ſtatuit, nec aliam agnoſcit illam Iuſtis, qui in Eccleſia degunt, & ſacramenta fidelium uſurpavere, peculiarem. *Non ſolum tunc dicam*, ait, *anteceſſiſſe gratiam, cum Deus adjungi homini non dedignatus eſt: ſed & uſque hodie antecedit voluntas Dei voluntatem hominis, vult enim ut ſalvemur.* Et paulò poſt, *Antecedit gratia voluntatem hominum oſtendendo vitam æternam in qua delectentur, oſtendendo incendium ſempiternum, in quo terreantur, ut à peccatorum delectationibus revocentur.* Quod illuſtrat ſimilitudine Adoleſcentis cui virgo amanda proponitur. *Cape ergo à carnis exemplo comparationem puellæ, ut adſenſum melius ſpiritalem attingas. Ergo eſt tibi oſtenſa puella à patre. Ecce gratia patris antecedit voluntatem. Iam tu incipe velle.* Et tandem quæſtionem concludens: *Ecce gratiam Dei vobis, & antecedentem, & ſequentem oſtendimus. Antecedit, quia vocat, quia provocat, quia invitat ut venias. Sequitur: quia dum veneris, & volueris, & petieris, donat.*

Hi textus, & ſimiles complures, quos non opus eſt colligere, evidenter oſtendunt, ab auctore non agnoſci, ſed potius deſtrui gratiam Chriſti, illam, inquam, quæ ſanat & introrſum voluntatem hominis corroborat, operaturque in eo velle & perficere, quemadmodum ſcriptura loquitur. Et in locum Gratiæ iſtius ab auctore introduci exteriorem quandam, in affectu ſolo conſtitutam quo Deus

Deus homines proſequitur, cum mortem eorum vice ſubiit, & in inſtitutionibus, adhortationibus, promiſſis, & minis, quæ verbi prædicatione, vel ſcripturarum prælectione proponuntur. Quod eſt revocare gratiam Chriſti ad Legem, ad inſtitutionem & cognitionem, & errorem reſtituere, quem Pelagius ipſe in Concilio Palæſtinæ adactus fuit damnare, *Gratiam Dei in libero arbitrio eſſe, vel in lege ac doctrinâ.* Etſi enim hic author videatur gratiam ſacramentorum agnoſcere, non tamen inde Pelagianiſmi ſuſpicionem vitat, imo tantò fit Pelagianis ſimilior, atque oſtendit nullam cum eis gratiam ab illo confiteri extra adhortationes, & verbi prædicationem, præter remiſſionem peccatorum, quam admisêre cum omnibus ſacramentorum gratiis, quæ neceſſaria habuere, & quibus uſi ſunt, tamquam medio ſpecioſo ad obſcurandam & evertendam veram Dei gratiam, quæ propriè voluntatem noſtram liberat ab infirmitate ſuâ naturali & ab impotentia bonum per ſe ipſam volendi, quæ nobis dat vim interiorem agendi & chriſtianè vivendi; cujus beneficio bona opera exequimur, & quæ neceſſaria ad ſingulas actiones noſtras, ſecundùm iſtud fidei dogma ab Eccleſia contra Pelagium conſtitutum, *Gratiam Dei ad ſingulos actus dari.* Sed auctor P. Sirmundi cum tueatur voluntatem hominis infirmitatis naturalis, interiorisque labis immunem, imò fortem & ex ſe ipſa validam prædicet, ut aliis quoque ejus propoſitionibus amplius oſtendetur; infirmitatem autem & morbum quem tribuunt illi poſt ſcripturam Patres, nempe concupiſcentiam, bonæ illius valetudinis eſſe partem, & facultatem à Deo conceſſam, inter cæteras naturales, & membris corporis ſimilem, quemadmodum ex ipſiuſmet verbis probatum fuit: non, inquam,

inquam, mirum illatum fuiſſe ab eodem, voluntatem nulla aliâ indigere gratiâ, quam illa quæ docet, oſtendit, & facienda imperat, non ullâ quæ vim obediendi præbeat actualem, quandoquidem arbitratus eſt, contra Eccleſiæ & Scripturarum ſententiam, voluntatem ſatis per ſe ipſam pollere.

XVII. Credit, libertatem ab Spiritu ſancto nobis collatam, his autem verbis expreſſam, *Vbi ſpiritus Domini, ibi libertas*, non eſſe veram gratiam & peculiare donum miſericordiæ divinæ, ſed rem bonis & improbis communem. Nam, inquit, *iſtâ libertate, quam gratia confert, alii plus faciunt boni quam Deus præcipit, alii plus faciunt mali quàm Deus prohibet*. Atqui verâ S. Spiritus gratiâ bonum tantùm exequitur, teſtante Scripturâ, *Charitas malum non operatur*. Vnde ſequitur, libertatem & gratiam illam fictitiam, quâ malum patratur, propriè non eſſe Spiritus ſancti gratiam. Et ſanè quod ait, per iſtam gratiam *alios plus boni facere, quàm Deus præcipit*, vox eſt Pelagiana, quam Pelagius coactus fuit eludere æquivocatione, & aliena ab opinione propria interpretatione, cum in Concilio Palæſtinæ objiceretur, Auguſtino teſtante, & Pelagium & Pelagii diſcipulos intellexiſſe, non ſolùm univerſam legem hic à nobis perfectè præſtari poſſe, ita ut non minus juſti ſimus, quàm in cælo ſumus futuri; ſed ulterius nos poſſe progredi, ut aliquid præſtemus quod Deus non juſſerit. Perſpicuum verò hic ab auctore eorum verba imitari, nec hæreſim ſolam, ut ex pleriſque propoſitionibus patet. Quod addit eadem illâ libertate gratiæ, *alios plus mali facere quam Deus prohibet*, hominis eſt indocti pravique commentum, cùm certum ſit, nullum peccatum concipi

poſſe, quod Deus non prohibuerit, quod præceptis divinis contrarium non exiſtat.

XVIII. Nec mirum, ſi libertatem, quam Spiritus ſancti gratia nobis confert, communem bonis & malis dicat, cùm rem corpoream exiſtimet. *Arbitrium*, inquit, *in animâ eſt, libertas in corpore.* Quoniam autem hæc propoſitio inaudita & portentoſá eſt, hujuſcemodi expoſitionem affert; *Si quem furem tenueris clauſum, libertatem ei furandi tuliſti, arbitrium non tuliſti: manus enim ejus ligaſti, non mentem. Si cæcus fiat aliquis cum eſſet concupiſcentiis deditus oculorum, libertas quidem oculorum ejus eſt vincta, arbitrium in ſuo jure permanſit: animi enim arbitratu concupiſcentiis exercetur. Vnde & non mœchantem mœchum Chriſtus appellat eum, qui ad concupiſcendum viderit mulierem, arbitrium enim habet, licet non habeat libertatem.* Quibus verbis & exemplis conſtat, ab illo non reponi libertatem in voluntate, ſed in exteriori tantùm, ſeu *in corpore*, ut ipſe loquitur, quod tunc liberum vocat cum nihil impedit quin exequatur voluntatis mandatum. Atque ita cum ait, *ubi eſt Spiritus Dei, ibi eſt libertas*, intelligit libertatem ab Spiritu ſancto nobis collatam in eo conſiſtere, quod removeat creaturarum impedimenta, non verò quod interius agat in animis noſtris novam facultatem & vigorem largiendo, quia animam naturali ſuâ facultate & libero arbitrio ſatis ex ſe ipſa validam putat, modò nullum extrorſum occurrat impedimentum. Iuxta quod ait, ſine gratiâ non eſſe liberum, ſed captivum arbitrium; Et liberum arbitrium ibi eſſe, ubi divina gratia conſiſtit: quia niſi ab Spiritu ſancto removeantur impedimenta externa, quæ hominis voluntatem remorantur, actualiter expetita perficere nequit. Eodem ſenſu fatetur aliquando,

quando, gratiæ divinæ vindicandum *quidquid boni agimus*; quia nullum poſſemus exercere bonum opus, niſi Deus occaſionem peragendi offerret, & impedimenta cuncta removeret. Quæ fallax & æquivoca locutio hæreticis omnibus communis eſt, ſed præſertim Pelagianis uſitata; confirmatque quod jam à nobis oſtenſum fuit, auctorem iſtum non minus doctum imitari artes, quam Hæreſes Pelagianorum; etſi phraſibus utatur ſibi propriis, incognitiſque cæteris Pelagianis, quemadmodum & Catholicis.

XIX. Ait, verba Chriſti, *Nemo venit ad me, niſi quem pater traxerit*, ſignificare, *Non eſſe ſanctitati hominis poſſibile aſcendendi ad me, ubi ſedeo ad dexteram patris, niſi quem pater traxerit*, qua expoſitione abſurdâ diruit unum è præcipuis fundamentis Eccleſiæ contra Pelagianos, & conſentaneè loquitur ſtatuto principio, gratiam Spiritus ſancti & libertatem datam, in corpore ſolo conſiſtere, & in poteſtate agendi extrorſum.

XX Baptiſmum liberare hominem arbitratur maculis peccati omnibus, perfectionem autem gratiæ, & ſanctitatis, ita conferre ut non amplius ſalutem expectet, ſed ea fruatur abundè. *Nobis ſpes tota videtur*, ait, *in Baptiſmatis ſanctificatione c nſtare.. Non ergo adoptio filiorum promittitur in Baptiſmo, ſed confertur*, ut non ſit uberior expectanda. Quocirca verba iſta exponens, *In ſpe ſalvi facti fuiſtis*, notat Apoſtolum, *non dixiſſe, Salvandos, ſed ſalvos fuiſſe factos*; quaſi poſt baptiſmum nulla ſalutis pars reſtaret ſperanda. Ita ut credat baptizatos unicam manere ſpem beatæ reſurrectionis, quam ſolam notatam vult ab Apoſtolo nomine ſpei. *Quare, Spe?* ait, *Speramus enim nos reſurgere, non enim jam reſurreximus*. Quapropter ab adverſariis ſuis nequicquam

b 2

Digitized by Google

quam vult proferri, Baptiſmum non delere reliquias peccati omnes, expectandamque eſſe in altera vita beatiori completionem juſtitiæ, & remiſſionis peccatorum. Hoc amplius eſt quàm dixêre Pelagiani. Nam docuêre quidem hominem in hac vita poſſe adipiſci ſanctitatem & juſtitiam perfectam; contra quem errorem libros integros ſcripſit Auguſtinus: ſed nunquam eò dementiæ devenerunt, ut affirmarent baptiſmum hominibus conferre tantam gratiæ & juſtitiæ menſuram ut omnes baptizati beati jam ſint & cæleſti perfectione donati, cùm præter reſurrectionem corporum nihil ſperare debeant. Et ſanè beatos apertè nominat, aſſeverans baptizatum conqueri amplius non debere, *Ego jam infelix homo*, cum Scripturâ, *ſed felix ego homo, quia hæc omnia mala evaſi, & hæc omnia bona inveni.* Et alibi, *Veniat ergo gratia baptiſmatis ſacri, & carnalem faciet hunc ſpiritalem, & venundatum ſub peccatum redimet à peccato, & jam non dicit, quod operor non intelligo. non enim quod odit malum, hoc agit, ſed quod vult bonum, hoc faciet: ſcit enim quoniam jam habitat in carne ejus bonum, id eſt, Spiritus ſanctus, per quem & velle ei adjacet, & perficere inveniet pro ſuâ bonâ voluntate. Iamque ſecurus eſt, & condelectatur legi Dei ſecundùm interiorem hominem; quia non videt aliam legem in membris ſuis.* Scriptum tamen reliquit ſanctus Auguſtinus, *Niſi Paulus haberet concupiſcentiam, Angelis non foret juſtitiâ inferior.* Sed hic author non ſatis ducit tali prærogativâ Paulum prægravare, cum ait, *Iam in his terris degentem felicem & ſanctum fuiſſe*; ulterius cæcitate ſua abripitur, ut cæteris quoque omnibus baptizatis hujuſmodi prærogativam tribuat, quos ita reddit Paulo ſanctitate & perfectione non inferiores. Inter beatos igitur nullum diſcrimen ponit, & nihil inter

(Serm. 5 de verb. Apoſt.)

ter cælum & terram, inter Paradiſum & miſeriæ vallem, cùm his & illis nihil reſtet ſperandum ulterius præter corporum reſurrectionem, animabus ſcilicet plenitudinem gratiæ & ſanctitatis in baptiſmo temporis momento adeptis. Neſcio quomodo tot exceſſus P. Sirmundum præterierint; vel, ſi ſatis animadverterit, quomodo publicè proferre ſuſtinuerit, nihil in iſto libro reprehenſione dignum contineri.

XXI. Ait, Eccleſiam non ideo damnaſſe Pelagium, quia exiſtimarit, *per libertatem arbitrii homines finem ponere poſſe peccatis.* Contendit autem ideo tantùm fuiſſe damnatum, *quod in tantum exaggeraſſet libertatem arbitrii, ut Dei adjutorium recuſaret.* Sed in eo nihil eſt quod poſſit objicere Pelagio: cùm enim accuſatus fuerit exiſtimaſſe, *hominem poſſe abſque divinâ gratiâ peccati expertem vivere*; ipſe Anathema pronunciat *in illum qui diceret, abſque adjutorio Dei poſſe hominem ad profectum omnium vivere virtutum*; hoc eſt, abſque peccato, quandoquidem ad omnia peccata vitanda, omnium opus eſt virtutum præſidio. Verum eſt Pelagii verba fuiſſe ambigua, nec ab eo notatam veram Chriſti gratiam; ſed in eo huic ſimilis erat authori, intelligebatque nomine *gratiæ & auxilii divini*, præcepta, adhortationes, promiſſa, minas, externorum remotionem impedimentorum, & ſimilia, quæ non internè operantur in voluntate hominis. Non rejiciebat quoque, ſed libenter agnoſcebat remiſſionem peccatorum, & gratiam juſtificantem collatam à baptiſmis, & à cæteris ſacramentis, prout eſt manifeſtum ex verbis Iuliani apud Auguſtinum. Itaque nihil eſt quod in Pelagium inſurgat auctor noſter. Si fuerit autem ideo damnatus Pelagius, quia dixit hominem in hoc mundo non peccan-

Aug. de geſt. Pelag. c. 14.

Lib. 1 op. Imp. n. 53, & 95. &c.

Digitized by Google

tem vivere poſſe, quidni auctor iſte pariter reus peragatur, cùm ſimili errore teneatur. Nam qui dicit, hominem hic poſſe à peccato deſiſtere, & illæsâ Dei majeſtate inſontem degere, præſertim cùm non de ſancto aliquo, cui Deus tantam gratiam peculiari privilegio conceſſerit, ſed univerſim de baptizatis omnibus loquatur, prout Pelagiani id ſubintelligebant, non poteſt hic author unà cum illis hæreſeos crimine liberari: quandoquidem Scripturis adverſatur, quæ juſtioribus prædicunt, quod peccato ſi immunes eſſe glorientur ſeducant ſe ipſos, mentianturque; & orationem Dominicalem evertit, quæ nos jubet quotidie veniam peccatorum noſtrorum efflagitare, neque ſanctioribus exceptis, neque Apoſtolis ipſis, ut notat ſanctus Auguſtinus. Nam cum Deus hiſce aliiſque multis ſcripturæ locis declararit, homines non poſſe ſine peccato eſſe in hâc vitâ per gratiam ordinariam, neceſſe eſt ut qui tribuunt hujuſcemodi perfectionem vulgo fidelium, aliunde putent ſe nanciſci quàm à gratiâ Ieſu Chriſti, hoc eſt, à propriâ voluntate, & à viribus propriis.

Ioh. 1.

Lib. 4 ad Boniſ. c. 10, 11. &c.

XXII. Adſerit, *neminem gratiam Dei conſequi, niſi qui ex fide cucurrerit*; curſum & voluntatem iſtam ex homine, non ex gratiâ eſſe contendens. Quare inferius ait, *curſum ſuum & voluntatem ad hoc extendere, ut accipiat à donante gratiam:* quibus teſtatur curſum iſtum, & voluntatis applicationem iſtam præcedere gratiam, nec ab illâ, ſed à libero arbitrio procedere. Ait enim, *libertatem arbitrii ita in nobis vigere, ut Deo poſſet obedire*, hoc eſt, ex ſe ipſo & facultate ſua naturali ſequi vocationem divinam. Et quamvis declaret ideo ſe non arbitrari, hominem poſſe mereri gratiam, quia ejus tum curſus, tum voluntas nihil habent quod con-

ferri

ferri poſſit cum gratiâ divinitus conceſsâ , cujus bona immenſo ſuperant intervallo actiones humanas omnes : nihilo tamen minus Semipelagianus exiſtit. Non ignoratur enim moris fuiſſe Semipelagianorum , ubi ſupra modum extulerant voluntatem hominis, concedentes illi vim ex ſe ipſa ad gratiam properandi, & fieri propriæ ſalutis principium , elevare tamen illam verbis, ut vitarent notam delatæ gratiæ, meritis noſtris ſubjectæ (ut erat Pelagianorum) cùm revera ſi meritis concedatur gratia, non amplius ſit gratia, ſed præmium, teſtibus cum Scriptura Patribus. In eo itaque ipſo auctor iſte eſt Semipelagianus, & à Semipelagianis mutuatus eſt ſubtilitatem & fallaciam illam, quâ fucum facere indoctis, incautiſque ſolebant. Ita enim cum Semipelagianis agnovit , voluntatem & curſum hominis mereri reipſa gratiam, ut alibi faſſus ſit apertè , *Venientibus ad bonum, fidei eorum ſtatim remunerationem exhiberi , conferendo indulgentiam peccatorum , & Dei filios faciendo.* Fatetur ergo curſum & fidem illam hominis , quam gratiam nequaquam mereri ajebat antea, ita nunc eandem mereri, ut præmii vice conferatur.

Iam tot Pelagianiſmis, totque aliis erroribus immoderatioribus auctore iſto reo peracto, haud neceſſe eſt Semipelagianiſmos congerere quibus liber ſcatet, imitatus ſemper non ſolùm principia, diſtinctiones, ſubterfugia, calumnias , ſed vocibus quoque Semipelagianorum propriis. Quemadmodum verba faciens de modo quo gratia in hominibus operatur , ait plerumque , *gratiam excitare dormientem* : non ignoratur autem tali ſermone uſos frequenter Semipelagianos, ut indicarent, gratiam propriè non conferre novas vires voluntati, ſed tantùm monere ut propriis naturalibuſque ſuis

uteretur : veluti qui ſuſcitat dormientem , nullum illi robur confert , ſed cognitionem tantùm & lumen ſomno ademptum reddit. Nec etiam cum Apoſtolo unquam ait , gratiam dare velle , ſeu voluntatem, ſed tantùm quod exigat velle. *Antecedens gratia exigit voluntatem* , ut oſtendat liberum arbitrium ex ſe ipſo poſſe velle quod Deus petit ab illo. Scripſit enim ſæpiuſcule , Deum nihil poſſe homini imperare, niſi in ſe ipſo facultatem peragendi haberet ; *Libertatem arbitrii ita in nobis vigere , ut Deo poſſit obedire ; & ita infirmatam eſſe in nobis , ut etiam ipſum Deum poſſit contemnere, à quo ipſa libertas eſt.* hoc eſt, ſi apertiùs loqui velit , libertatem voluntatis noſtræ in nobis æquè validam eſſe, ac in Adamo fuit in ſtatu innocentiæ , cùm in eo ita potuerit Adamus Deo obedire , ut etiam contemnere potuerit , prout reverà contempſit. Poteſtas enim Deum contemnendi , nullam impotentiam peculiarem notat in homine facto peccatore , cùm homini quoque inſonti conveniat, & prorſus inſeparabilis exiſtat ab ejus conditione naturali, quæ eſt, ut ſit creatura lapſui & morti obnoxia , quo ipſo differt à numine divino ſuâ naturâ immortali atque extra peccati labem poſito. Et ita ultima illa propoſitio non tam Semipelagiana eſt , quàm prorſus Pelagiana, necnon è pernicioſioribus.

CAPVT II.

Mendacia, fabulæ , & fœda auctoris ignorantia.

PErperam corrupit locum ex Epiſtolâ ad Rom. Cùm enim ita ſcriptum ſit, *Non ex operibus , ſed ex vocante dictum eſt, quia major ſerviet minori.* ille hoc modo citat *à præſcienie dictum eſt quia major ſerviet minori.* Vt Apoſtolus ſignificet , Deum prædixiſſe

natu

Digitized by Google

natu majorem filiorum Iſaaci minori ſerviturum, ob prævifa opera, cùm textus apertè dicat, Deum non propter opera prædixiſſe, ſed propter voluntatem & miſericordiam ſuam.

Fàlſo ſcripturæ loco errores ſuos confirmat, *Pater neminem trahit invitum,* qui nullibi in Canonicis libris exſtat.

Paulo attribuit falsò quæ nunquam protulit. *Alloquitur Iudæos, ut non contriſtentur, dicens, Quid nunc prohibetis nos gentibus loqui ne ſalvæ fiant, cùm ſciatis Deum dixiſſe ad Abrahamum, quod in ſemine tuo hæreditabo omnes gentes.* Quæ verba nec Pauli, nec Scripturæ ſacræ ſunt. Et ſi quædam ſint Paulina; non Iudæis, ſed Ethnicis Theſſalonicenſibus ad fidem converſis dicta fuerunt.

Perperam refert verba Actuum: *Prædiximus vobis ne prædicaretis hoc nomen: vos autem repleſtis omnes doctrinâ veſtra:* ut probet Iudæos ita fuiſſe allocutos Apoſtolos, quo exprobrarent prædicationem in nationes omnes, Paganos quoque diffuſam. Textus verò habet non, *repleſtis omnes doctrinâ veſtrâ*, ut falſarius iſte profert, ſed, *repleſtis Hieruſalem doctrinâ veſtrâ*: nec de eo querebantur Iudæi quod Apoſtoli Ethnicis Euangelium proponerent, quod eouſque factum non fuiſſe teſtatur Scriptura, ſed quod Chriſtum in Hieruſalem annunciarent, ejuſque mortis reos peragerent; *& vultis inducere ſuper nos ſanguinem hominis iſtius.*

Sed valde notanda eſt audacia quâ Hiſtorias auctoribus confinxit, fabulas adinvenit imaginarias & deridendas, & craſſa ignorantia quâ inventas divendidit. Hyginum, Polycratem, Africanum, Heſiodum Græce ſcripſiſſe ante ſanctum Epiphanium volumina, libros multos complectentia, in quibus Hæreſes omnes deſcriptæ erant. Qui

auctores inauditi ſunt, & univerſæ antiquitati ignoti: ita ut vel ipſe excogitarit; vel inconſiderantius ſecutus ſit monumenta falſa, & auctores Apocryphos, vel in eo errarit quod non libris nuſquam exſtantia compererit. Si probè tenuiſſet S. Iuſtinum martyrem volumen in hæreſes cunctas ſcripſiſſe, potiori jure inter auctores illos recenſuiſſet tantum virum, quamvis nunc non exſtet volumen, & à multis deperditum ſeculis videatur.

Ait Heſidum Epiſcopum Corinthium Arrianis primum reſtitiſſe, ejuſque precibus effuſis viſceribus Arium ſubitò expiraſſe. Neſcio quomodo P. Sirmundus tantos errores non animadvertit; ſi verò animadverterit quî ſuſtinuerit, ineptum adeo & luce indignum auctorem proferre. Nemo enim in Hiſtoriâ Eccleſiaſticâ non hoſpes ignorat, primum qui in Arium ſcripſit, & excommunicavit, fuiſſe Alexandrum Epiſcopum Alexandriæ, precibus verò Alexandri Epiſcopi Conſtantinopolitani medium crepuiſſe.

Ait Tertullianum bene & incomparabiliter ſcripſiſſe omnia, & in hoc ſolum ſe reprehenſibilem feciſſe, quod Montanum defenderit agentem contra Soterum Epiſcopum Romanum, quem contendit hæreſim damnaſſe Tertullianiſtarum. Quot verba, tot fœdi errores. Nec enim Soterus Papa quidquam contra Tertullianum ſcribere potuit, nec Tertullianus in Soterum, cujus tempore nec dum erraverat, nec Chriſto nomen dederat; ſed in Zephirinum circa Pœnitentiam in qua falsò affirmat doctrinam Eccleſiæ ſecutum fuiſſe; cùm ex ſcriptis Tertulliani conſtet, quos apparet nunquam ab iſto auctore lectos, noluiſſe criminum majoris abollæ reos reconciliari &

ad ſacram ſynaxim admitti, quâ in re fuit Novatianorum præcurſor. Falſum quoque, in eo tantum erraſſe Tertullianum, quod Montanum defenderit; cùm nemo ignoret, errores ejus circa baptiſmum ab hæreticis adminiſtratum, circa fugam perſecutionis tempore, alioſque permultos ipſi proprios, & quorum Montaniſtæ accuſati non fuerunt. Et auctor iſte ſcribit paulò poſt, quoſdam objicere Tertulliano, *quod animam ex traduce, id eſt, animam dixerit ita gigni ex anima, ſicut ex corporibus corpus.* Additque, *quod Catholica fides vehementer execratur.* Cum igitur indubium ſit, hujuſmodi doctrinam Tertulliani fuiſſe, ut ex ejus ſcriptis patet: quamvis vir iſte ineptus inexcuſandâ ignorantiâ, & ex aliorum fide hæſitanter loquatur; ſequitur ex ipſo, Tertullianum opinionem habuiſſe deteſtandam, hæreſi Montani non comprehenſam, quam in eo tantùm ab illâ Eccleſiæ diverſam dicit, *quod ſecundas nuptias non reciperet, & Prophetiam Montani de futuro judicio non recuſaret.* Certum eſt ſermonem iſtum erroneum eſſe; nam primò falſum tempore Tertulliani, & ſæculis deinceps pluribus, execrabilem hæreſim exſtitiſſe, ſi quis crederet animam ex traduce, quandoquidem de eo Hieronymus & Auguſtinus ſubdubitarint, ſcripſeritque poſterior libros, quibus demonſtraret, nihil circa quæſtionem Scripturis & Eccleſiaſticæ doctrinæ intactam determinari poſſe. Nec in eo quidem Tertulliani error conſiſtebat, quemadmodum rudis iſte auctor vult; ſed in eo quod animam corpoream exiſtimaret, membris partibuſque præditam, ut ejus de Anima libro conſpicuum eſt.

Aug. lib. de orig. An. & epiſt. 7. 27. &c.

Falſum quoque, doctrinam Eccleſiæ ab illâ Montaniſtarum in eo tantùm fuiſſe diverſam, quod

quod ſecundas nuptias damnarent, & prophetiam Montani probarent: quia Tertullianus ipſe teſtatur, in alios incidiſſe errores circa baptiſmum, pœnitentiam, jejunium, & alia.

Inſuper falſum eſt, Tertullianum verba feciſſe de prophetiâ Montani, quæ finem mundi ſpectabat; de quâ nihil in ejus ſcriptis reperitur; & finxit auctor locum, quem ad probandum profert, licet tribus lineis longiorem. Sed falſarius homo quidlibet videre & adinvenire poteſt.

Ait epoti infantium ſanguinis accuſatos fuiſſe Montaniſtas; *ſed incertum id eſſe, & ideo à ſe recenſitum, ne videatur ignorare omnia quæ de eis dicuntur.* Interea addit, Tertullianum pro Montano contra Papam Soterum, *aſſerere falſa eſſe quæ de ſanguine infantium ferebantur.* Vnde tria in auctorem iſtum ineptum colligi poſſunt. Primò non incertum fuiſſe an criminis illius horrendi rei eſſent Montaniſtæ, cùm Tertullianus contrarium affirmet, niſi illum mendacii accuſare velit. Secundò, falſi crimine novo teneri auctorem allegatis Tertulliani verbis, ex opere fictitio, cum nullæ interciderint illi unquam hâc de re cum Sotero Papa controverſiæ; & nemo ſit ex antiquis cui tale opus innotuerit. Tertiò falſum eſſe, Montaniſtas criminis illius fuiſſe accerſitos, & riſu dignum quod ait, ideo tantùm ſe mentionem feciſſe, ut oſtenderet quàm non ignorarit accuſationem, quaſi ſcientiam ſuam ignorantiâ ſuâ mendaciiſque confirmaret. Ex antiquis enim, & ex ipſo Tertulliano manifeſtum eſt, exprobratum id ab Ethnicis toti Eccleſiæ diu fuiſſe antea, cùm in alterâ Apologiâ à S. Iuſtino martyre ita fuerit reſponſum, ut in Hæreticos ſui temporis non rejecerit; quippe nihil certi habebat.

Ait

Digitized by Google

Ait ſanctum Xyſtum & ſanctum Cyprianum contra Novatianum ſcripſiſſe, & S. Cyprianum in illum compoſuiſſe librum *de lapſis*, ut oſtenderet perſecutionis tempore lapſos gratiam recuperare poſſe, quamvis Novatus contrarium doceret. Sed quis tyrunculus ignorat natam eſſe hæreſim Novatianorum ſub S. Cornelio Papa, non autem ſub Xyſto, qui diu ante vixit. Legendus eſt ſolũmodò ſancti Cypriani liber *de lapſis*, & patebit, non ideo compoſitum, ut probaret peccatores per pœnitentiam poſſe redire in gratiam, ſed ut errorem omnino contrarium refelleret, qui peccatoribus veniam faciliorum & legitimæ pœnitentiæ expertem pollicebatur.

Ait Eccleſiam non diſputaſſe, ſed tantùm damnaſſe Baſilidianos veluti energumenos: tantâ ignorantiâ rerum laborans ut nunquam legerit errorum eorum refutationem apud Irenæum & Epiphanium.

Ait S. Ioh. Epiſcopum Conſtantinopolitanum, ut lucrifaceret hæreticos dictos *Quartodecumanos*, qui ideo damnati fuerunt, quia feſtum Paſchatis celebrabant eodem quo Iudæi tempore, non autem ab Eccleſiâ præſtituto, cum univerſo clero ſuo iviſſe feſtum celebratum, dixiſſe autem, *ſicut nos vobiſcum celebravimus Paſcha, venite & vos nobiſcum ſuſcipite*, atque hoc pacto in multis urbibus hæreticos in Eccleſiam reduxiſſe. Hiſtoriæ fidei dubiæ, quarum nulla ſunt in antiquitate veſtigia, quæ verò indigniſſimæ ſunt virtute & zelo S. Ioh. Chryſoſtomi, qui millies mori maluiſſet, quàm clerum ſuum in Eccleſiam hæreticam transferre, & cum Hæreticis communionem habere, & præſertim cum damnatis à prima Synodo Nicenâ œcumenica.

Vbi

Digitized by Google

Vbi dixit, Origenem multa ſcripſiſſe mala, nominat illum *Doctorem* Catholicum ; & ubi dixit, quendam *Ampullianum Bithynium, qui docebat poſt Origenem Eccleſiam Dei*, cum hæreſiarcha evaſiſſet, & tueretur improbos & dæmonas tandem ſalvos futuros, errori ſtabiliendo protuliſſe Origenis libros corruptos; & Martyrem Pamphilum in Apologetico ſcripſiſſe, non Origenis eſſe quæ in ejus ſcriptis improbanda leguntur , ſed adverſariorum & à duobus hæreticis cognominibus manare depravatiora. Nemo eſt, inquam , qui non poſſit animadvertere, non modo audaciam , ſed ſtupiditatem auctoris à P. Sirmundo adeo celebrati. Niſi enim Origenis ſint, ſed adverſariorũ, quæ Origenes refellit, nequaquam depravata ejus ſcripta fuerant; ſi autem falſificationes librorum Origenis imputandæ ſunt duobus hæreticis cognominibus , non igitur Ampulliano ſucceſſori referendæ. Nec certè viri illius mentionem unquam fecere Origenis patroni , nec duorum illorum hæreticorum Origenis orthodoxi corruptorum : quaſi nimirum alius ſcriptis depravandis nomen idem eſſet neceſſarium.

Sed quod ait poſtea , *qui ſani ſenſus eſt , & habet ſplendidos oculos, ſic videt addita in Origenis opuſculis mala iſta atque cognoſcit , ſicut ſi in ſtragulo coccineo pannos albos, aut cujuſque alterius coloris cernat adſutos : ab ignaris & mendacibus Catholicis errores illos imputari Origeni*; tanta, id, inquam, eſt ſtultitia & protervia, ut non niſi in animum malè ſanum cadere potuerit. Inde enim ſequitur Sanctorum Eccleſiæ maximos harum falſificationum ignaros, & ad Origenem referentes librorum ejus errores, væſanos, cæcos, ignaros, & mẽdaces fuiſſe, inter quos Baſilius, Epiphanius, Hieronymus, Auguſtinus, aliique per-

permulti, ut taceam V Concil. Oecumenicum, quod non ſcripta tantùm, ſed Origenem ipſum anathematizavit.

Poſt quæ portenta nemo mirabitur affirmantem Pamphilum martyrem, *qui pro Origene Apologiam ſcripſit, Epiſcopum fuiſſe, & irreprehenſibiliter cathedram Epiſcopatus obtinuiſſe, ſanam doctrinam populum docuiſſe.* Licet verum ſit, ut teſtatur Hieronymus, non eſſe Pamphilum martyrem; ſed Euſebium Epiſcopum Cæſarienſem Arianum Apologiæ pro Origene auctorem, nec unquam Epiſcopum; ſed tantum presbyterum fuiſſe martyrem iſtum. Cùm tamen nihil impoſſibile ſit impoſtori, presbyterum iſtum fecit Epiſcopum, prout & S. Ephremum presbyterum fecit, qui Diaconus Edeſſæ in Syria fuit.

Ait, *S. Baſilium Epiſcopum Cappadociæ* obſtitiſſe Meletiis ſchiſma molientibus; & ſancti Baſilii in illos locum profert. Quæ tamen verba, & opera Baſilii ſunt imaginaria, cùm non conſtet quidquam illum in iſtos hæreticos ſcripſiſſe, ſchiſma ordientibus ante natum Baſilium, & inter primos obſtiterit illis S. Athanaſius. Ignoravit quoque S. Baſilium Cæſareæ in Cappadociâ Epiſcopum fuiſſe; appellavitque *Epiſcopum Cappadociæ*, quaſi Diœceſis eſſet Cappadocia, non autem integra Provincia.

Poſt Arianos, Eunomianos, Apollinariſtas &c. ponit Donatiſtas; de quorum hæreſi loquitur, quaſi diu poſt fato functum S. Epiphanium nata eſſet; haud ſciens damnatam ſæpius, non tantum ante S. Epiphanium, ſed ante cæteras illas hæreſes, & ante primum Concilium Nicænum.

Ait, Hæreticos Iovinianos Romæ fuiſſe deprehenſos convivia lautiora agitantes, ſuillam eſitantes ſacrâ ſeptimanâ, è quorum menſis ſublatus

ſus

ſus aſſus, qui appenſus fuit collo Ioviniani per plateas urbis hoc ornatu deducti. Quæ fabuloſa oratio ſola P. Sirmundum monebat auctorem relinquere in illis quibus hucuſque latuerat tenebris.

Fœdam præterea ignorantiam ſuam prodit, cum ait, S. Ambroſium, in deprehenſum Iovinianum librum edidiſſe, quo in Eccleſiâ Romæ perlecto, populus univerſus cum Clero Anathemate percuſſit Iovinianum, ejuſque diſcipulos, initio Quadrageſimæ, *S. Anaſtaſio Epiſcopo Antiſtite*, ut authoris tanti verbis utar. Sed nemo neſcit S. Ambroſium nunquam calamum ſtrinxiſſe in Iovinianum, Mediolani verò Concilium celebraſſe ubi ejus errores damnavit, & Epiſtolam Synodalem ſcripſiſſe ad Papam Syricium, non ad Athanaſium, ante cujus Pontificatum è vivis exceſſerat Ambroſius.

Prætereo innumera alia falſa & exorbitantia haud abſimilia, quæ ſatis animadvertet lector, ſcripti portentoſi, cùm nec animus ſit nec tempus ſuperſit pluribus colligendis. Sufficiunt autem huc congeſta, ut miretur quiſque quo pacto P. Sirmundus in animum ſuum inducere potuerit fœtus horrendi editionem, & in præfixa præfatione teſtari nihil reprehenſione dignum contineri.

CAPVT III.

Errores & Hæreſes ab auctore Prædeſtinatis (quos vocat) tributos, objectiones eſſe & exprobrationes Pelagianorum & Semipelagianorum in doctrinam S. Auguſtini & Eccleſiæ.

SAtis eſſet evidenter oſtendiſſe, auctorem P. Sirmundi non modò ignarum, impoſtorem, & falſa-

falſarium eſſe, ſed etiam Semipelagianum, & Pelagianum, prout ex indiciis à me ſupra allatis, patet, ut inferretur nequaquam illum audiendum in iis quæ ad haſce hæreſes ſpectant, vel in nullis prorſus, cum fidei ſpectatæ probus teſtis eſſe debeat, neque ille talis ſit qui fidem falſam & hæreticam habet. Sed ut res illuſtrior fiat, & argumentis confirmetur propioribus, auctorem iſtum ex illis eſſe, qui perperam Catholicis nomen dederunt Prædeſtinatorum, dogmata illis imponentes, & calumnias, quibus onerabant doctrinam S. Auguſtini, & Eccleſiæ, zelum increpantes quo viri illi magni doctrinam eam contra adverſariorum errores & conatus tuiti ſunt, ideo, inquam, ſigillatim examinanda capita quibus hæreſim Prædeſtinatorum conflavit, detegendaque falſitas improbitaſque. Primus error quem illis imponit, hic eſt, *Hi electionem,* ait, *bonorum, & recuſationem malorum, Deo decernente definiunt, non homine vel negligente.* Quaſi decretum Dei ſine libero arbitrio omnia efficeret, neque bona per ſe aut mala opera eſſent, aut conſideranda non venirent. Quod ipſe ita ſequentibus verbis exponit. *Nolunt Dei jura, vel à ſtudentibus cuſtodiri, vel à negligentibus violari.*

Hæc eſt ſexta Gallorum objectio in Auguſtinum à ſancto Proſpero hiſce verbis allata: *Quod liberum arbitrium in homine nihil ſit: ſed ſive ad bonum, ſive ad malum, prædeſtinatio Dei in hominibus operetur.*

Secundus error cujus illos accuſat eſt, *Dicunt, etiamſi voluerit bonum facere, qui ad malum prædeſtinatus eſt, ad bonum pervenire non poterit. Nam qui ad bonum prædeſtinatus eſt, etiamſi negligat, ad bonum perducetur invitus.* Semipelagiani idem exprobrarunt ſancto Auguſtino, ubi dixêre ejus doctrinâ peccato-

ribus animum detrahi, ſocordiam verò bonis dari, *eo quod utraque parte ſuperfluus labor ſit, ſi neque rejectus ulla induſtria poſſit intrare, neque neglectus ulla negligentia poſſit excidere.* Fauſtus etiam, quem in tot aliis articulis auctor iſte imitatus eſt, illationem hujuſmodi fecit, Si de hominum ſtatu Deus *potentia* ſuâ, hoc eſt, voluntate ſuâ immutabili, non autem *æquitate* ſua, id eſt, habita ratione motuum liberi noſtri arbitrii, ut in ſequentibus exponit, diſponat, ſequitur *quod ille fortaſſis qui pulſavit excluditur, & ille qui non quæſivit attrahitur.* Hæc eſt decimaquarta objectionum Vincentii, *quod pars magna illa* Chriſtianorum Catholicorum fidelium atque ſanctorum, quæ ad ruinam & perditionem prædeſtinata eſt, etiamſi petat à Deo ſanctitatis perſeverantiam, non impetrabit: eò quòd mutari non poteſt divina prædeſtinatio, quæ illos præordinavit, præparavit, præoptavit, ut crederent. Sed S. Proſper haſce impietates & impoſturas reſponſis ſuis funditus evertit.

Tertius error, quem adverſariis ſuis Prædeſtinatis imponit ita ſe habet, *Dicunt baptiſmatis undam non univerſa peccata mundare.* Hæc calumnia non Semipelagianorum, ſed Pelagianorum eſt, quam palam protulêre in duabus Epiſtolis ad Papam Bonifacium contra Catholicos, quos ita accuſant, *Dicunt etiam baptiſma non dare omnem indulgentiam peccatorum.* Quod S. Auguſtinus rejicit tanquam impoſturam ſuperſtructam eo quòd docerent Catholici cum universâ Eccleſiâ, concupiſcentiam remanere in baptizatis veluti effectum peccati, & reſiduam infirmitatem morbi, cujus baptiſmo ſanati fuerant. Vnde Hæretici inferebant ad Catholicos vituperandos, ſecundùm illos baptiſma non diluere omnia peccata, cum ipſi è contra tuerentur,

Aug. lib. 1 ad Bonif. c. 13. & lib. 2 in Iul. c. 1.

rentur, concupiſcentiam baptizatorum non eſſe peccatum, ſed rem bonam & naturalem, cujus Deus auctor erat, non autem diabolus & peccatum. Quemadmodum autem auctor Sirmundianus hæreſim hauſit, ut patet ex locis ſupra allatis, ita pravo fundamento ſuperſtructam hæretico calumniam imitatus eſt.

Quartus error eſt; *Dicunt, Ita antecedit gratia liberum arbitrium, ut ante accipiat homo quàm petat, ante inveniat quàm quærat, ante ei aperiatur quàm pulſet.* Hæc eſt conſequentia quam ex doctrina Eccleſiæ infert, Hominem neque petere, neque quærere, hoc eſt, nihil unquam boni expetere, nunquam Deum aptè orare, niſi gratiam ad id particulari miſericordiâ fuerit adeptus. Quod probare non poterant Semipelagiani, contendentes, *hominem poſſe ad hanc gratiam, qua in Chriſto renaſcimur, pervenire per naturalem facultatem, petendo, quærendo, pulſando.* Quare audacter ſcripſit auctor iſte, antecedere voluntatem hominis gratiam Dei. Non enim, ait, dixit Dominus, accipietis prius, & ſic petite, invenietis prius, & ſic quærite; aperietur vobis prius, & ſic pulſate: ſed dixit petite & dabitur vobis, quærite, & invenietis &c. Hæreſis itaque Prædeſtinatorum, quos vocat, in eo conſiſtit quod crederent contra illum, ſed cum Eccleſiâ, hominem nihil boni velle niſi gratia largiretur poſſe; in eo, inquam, conſiſtit, quod Catholici eſſent, ille vero hæreticus.

Quintus error falsò adſcriptus eſt. *Dicunt nullum ad fidem Chriſti accedere, niſi fuerit à patre tractus invitus: illud adtendentes, Nemo venit ad me, niſi quem pater adtraxerit.* Fauſtus caput integrum fecit in hunc Scripturæ locum, calumniam eam Catholicis imponens: *Hoc loco,* ait, *adtracti ſalutem, adtrahentis pu-*

Fauſt. l. 1. de lib. arb. c. 17.

Digitized by Google

tant eſſe violentiam. Apparet illos non noſſe niſi catenas obnoxiæ ſervitutis, qui devotæ neſcit vincula charitatis. Poſt quæ accuſat Catholicos, *omnia adſcribere gratiæ*, propter hunc locum, & hominem facere nervis alienis mobile lignum, *Nunquid velut inſenſibilis & inepta materies de loco ad locum movendus eſt & trahendus.* Idem Pelagiani exprobrarunt Catholicis in Epiſtolâ adversâ Romam ſcriptâ. *Sed nomine*, inquiunt, *gratiæ, ita fatum aſſerunt, ut dicant: quia niſi Deus invito & reluctanti homini inſpiraverit boni, & ipſius imperfecti cupiditatem, nec à malo declinare, nec bonum poſſet arripere.* Quam Auguſtinus impoſturam damnat, & ſtoliditatem vocat, nullo alio innixam fundamento quam doctrinâ illâ Catholicorum, Deum hominibus gratiam largiri, non ex merito, ſed ex miſericordiâ, voluntatem eorum, non deſideria prævenire.

Sextus. *Dicunt omnia non in re, ſed ita in ſpe fieri, ut quod dicit Apoſtolus, ſpes quæ videtur non eſt ſpes, etiam hoc myſteriis adplicent dictum, & dicant, Ea quæ percipiuntur, videntur quidem eſſe, ſed non ſunt.* Id ipſum Iulianus S. Auguſtino exprobravit, *Non innovari homines per baptiſmum, ſed quaſi innovari: non liberari, ſed quaſi liberari, quidquid in præſenti ſæculo agitur, eſſe culpandum.* Et deinde impugnat quod dixerat Auguſtinus, nempe verbis Apoſtoli, ſpe ſalvi ſumus, ſignificari futuram ultimo judicio remiſſionem peccatorum, quę ante diem illam abſoluta non eſt, ut Pelagiani ſtatuebant. Eaſdem alibi iteravit calumnias, inde ductas quod Auguſtinus unà cum Eccleſiâ tueretur, non ita baptiſmum remittere nobis peccata, quin multa eorum effecta in nobis relinquat, & concupiſcentiam in primis, quæ peccatorum eſt fons perennis, & ne ea omninò in hac vitâ vitemus, juſtitiamve futurâ in cælis æqualem

Aug. l. 6. cōt. Iul. 14.

lem adipiſcamur, impedit. Quocirca plerumque docet, baptiſmum hîc nobis non demere totaliter peccata, & ſolâ nos ſpe ſalvare, quia nempe nos non adhuc omnibus liberat malis, & præſertim concupiſcentiâ, quâ ſemper ſubjacemus peccato, etſi liberari ſperemus gloriâ reſurrectionis. *Apoſtolus dicit, ſecundùm ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Quis autem non intelligat in lavacro regenerationis ſpem nobis datam ſalutis futuræ, non jam ſalutem ipſam, quæ promittitur? & tamen quia certa ſpes eſt, tanquam jam data eſſet eadem ſalus; ſalvos nos, inquit, fecit. Alio quippe loco dilucidiſſimè dicit,* Nos in nobis ipſis ingemiſcimus, adoptionem expectantes, redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalvi facti ſumus: ſpes autem quæ videtur non eſt ſpes &c. *Non dixit,* ſalvi futuri ſumus, *ſed, quomodo jam ſalvi facti ſumus, nondum tamen in re, ſed in ſpe.* Aug. cont. Fauſt. li. 2. c. 7. & alibi. Centies hæc doctrina apud ſanctum Auguſtinum iteratur, quam auctor Sirmundianus pervertit, & cui invidiam creare molitur calumniis ex Iuliano petitis, cum quo, ut cum cæteris Pelagianis putat, concupiſcentiam baptizatorum non eſſe malam, & perfectæ juſtitiæ contrariam, quemadmodùm ſupra fuit oſtenſum.

Vltima in Prædeſtinatos ſeu Catholicos calumnia eſt. *Dicunt, plus obfuit ad nocendum Adam generi humano, quàm Chriſtus in ſubveniendo. Nam Adam ajunt quod nocuit ita manet, ut hoc nec Paſſio Chriſti, nec baptiſmatis ſanctificatio poſſit auferre.* Fateor non meminiſſe me Pelagianos calumniâ illâ in ſanctum Auguſtinum uſos fuiſſe, cujus auctor faber mihi videtur. Sed revera conſequens eſt ſuperioris; unde collegit ſolito ratiocinii ſui acumine. Quod enim ajebant Catholici, gratiam baptiſmi non tollere effectus omnes peccati Adami, & concupi-

ſcentiam relinquere virtutis palæſtram, putavit neceſſariò ſequi, Paſſionem Chriſti baptiſmo nobis applicatam, & ſanctitatem Sacramento collatam, haud eſſe idoneam nobis à malo lapſus Adami liberandis. Sed tenere debebat toties circa hanc materiam Pelagianis ab Auguſtino repoſitum, gratiam baptiſmi comitem, non ſolùm remittere nobis jam omnia peccata, ſed paulatim liberare nos ab omnibus inde manantibus malis, quia nos continuò pellit ad reſurrectionem, in quâ penitus delebuntur, ut nullum ſuperſit veſtigium, ac ſi nunquam peccaſſemus. Itaque cumulus juſtitiæ & gloriæ in cælis futuræ, non minus baptiſmi effectus erit, ac peccatorum remiſſio quæ jam nobis confertur.

Lib. de pecc. orig. cap. 40. &c.

Hæc ſunt præcipua capita ad quæ refert auctor hæreſim Prædeſtinatorum libro ſuo primo. Quod evidenter oſtendit, cum meræ ſint calumniæ Semipelagianorum in Catholicos doctrinæ ſancti Auguſtini & Eccleſiæ propugnatores; univerſam hæreſim prædeſtinatorum, de quâ tot ſermones, accuſationem fuiſſe falſam, & ſatanicum inventum hæreticorum illorum quorum procul dubio fuit inter acerbiores, quandoquidem auſus eſt reſtituere tot modis Pelagianiſmum, præter morem Semipelagianorum.

Eodem autem pede pergit in reliquo opere, quod nihil aliud eſt præter interruptam traductionem doctrinæ Auguſtinianæ & Catholicæ, quam inficit, ut imperitos metu deterreat, potius quàm dimoveat argumentorum pondere, quod hodie faciunt qui coram populo & veritatis inquirendæ minus ſtudioſis eandem oppugnant; quod quidem indignum Catholico nomine, & præ ſe fert contemptum judiciorum Dei hoſtis & ultoris calumniæ

niæ mendaciique, cujus diabolus ſolus eſt pater.

Sæpe reprehendit & conatur refellere adverſariorum dogma, Deum mutare voluntates hominum, ut prioribus contraria velint; quemadmodum in Paulo factum eſt, cùm ex perſecutore veritatis ejuſdem diſcipulum & acrem propugnatorem ſubitò reddidit. Exiſtimat enim auctor Deum nihil aliud quàm ſequi voluntates hominum, & accommodare ſeſe propriis eorum motibus. Quare ſemper aſſerit, *gratiam non trahere nolentem; non nolentem, ſed volentem exaltare.* Deum autem *perſonarum acceptorem fuiſſe ſi in converſione ſancti Pauli apprehendiſſet nolentem, & feciſſet volentem.* Qui ſermones eò manifeſtè tendunt ut evertant, quæ in locis innumeris docet Auguſtinus, juxta doctrinam orthodoxam, gratiam *volentes ex nolentibus facere*; & quæ Eccleſia in publicis precibus fatetur dum orat, *Rebelles compelle intrare voluntates*; & quæ Prophetæ fuit; *Extrahe Domine, cor lapideum,* hoc eſt, duriciem voluntatis & creaturarum mortuarum amorem, *da carneum*, id eſt, *obedientiâ emollitum & divina quærens.* Evertunt, inquam, effatum Apoſtoli, Deum velle & perficere nobis largiri, cùm nihil habeamus quod non acceperimus, nihil ex nobis ipſis poſſimus; Chriſto ipſo docente in Euangelio. Philip. 2. 1 Cor. 4. Ioh. 15. 2 Cor. 3.

Accuſat Prædeſtinatos docere, Deum nolle omnes homines ſalvos facere, & pluribus probare ſudat vocem *Omnes,* in loco Apoſtoli generaliter & ſine ulla exceptione uſurpari debere. Nemo non videt id ſanctum Auguſtinum & ejus diſcipulos ſpectare, circa quod Semipelagiani vehementiſſimè coram plebe detonuerunt, quippe Patres & Concilia ſecuti arbitrabantur verba Apoſtoli, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri,* non de ſingulis indivi- 1 Tim. 2.

 duis

duis ſumi debere, cùm tot ſint infideles ad quos Euangelii prædicatio nunquam pervenit, ſine qua tamen nemo, Scriptura teſte, poteſt ad ſalutem pervenire. *Vnde manifeſtum eſt*, ait ſanctus Augustinus, *eos qui huic reſiſtunt tam perſpicua veritati, non intelligere omnino qua locutione ſit dictum, quod omnes homines vult Deus ſalvos fieri, cùm tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult: quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis.* Quocirca Semipelagiani Auguſtinum eo nomine damnarunt quod diceret, *Deum nolle omnes ſalvare.*

Aug. ep. 107.

Pariter objicit quod dicant, *Ieſum Chriſtum non eſſe pro omnibus mortuum.* Quemadmodum autem iſta objectio conſequens eſt præcedentis & vulgi mentibus turbandis idonea, ſæpius repetita fuit à Semipelagianis in ſanctum Auguſtinum invidiæ conciliandæ cauſſa apud imperitos doctrinæ tanti viri. Erat enim nona objectio Gallorum in magnum illum Sanctum; *Quod non pro totius mundi redemptione Salvator ſit crucifixus*; & prima Vincentii in eundem, *quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus non pro omnium hominum ſalute & redemptione ſit paſſus.* Vt noſcant Interpolatores harum accuſationum, quos auctores habeant, pudeat autem illos introrſum initæ ſocietatis cum hominibus ab Eccleſia ante tot ſæcula damnatis.

Tribuit illis, *Prædeſtinationem Dei jam & numerum juſtorum & numerum conſtituiſſe peccatorum, & neceſſe eſſe conſtitutum terminum præteriri non poſſe.* Quod Semipelagianum eſt querentium ex Auguſtino, Deum nolle omnes homines ſalvos fieri, *ſed certum numerum prædeſtinatorum.*

Oppugnat illos, quaſi tuerentur, Deum prædeſtinatione ſua homines violenter ad peccatum inducere, & peccatum ordinare, ineptis uſus exaggeratio-

gerationibus, ab impoſtura orſus diſputationem cœptam ſanè, ut mendacio veritatem extinguat. Simili non ſolùm calumnia uſi ſunt Semipelagiani, ſed eadem methodo protulêre, exordium inde ſumentes contra doctrinam ſancti Auguſtini & Eccleſiæ. Nam prima propoſitionum expoſitarum apud ſanctum Proſperum eſt, *Quod ex prædeſtinatione Dei, velut fatali neceſſitate, homines ad peccata compulſi cogantur in mortem.* Eadem illos ratione accuſat, *Dare manus mathematicis*, qui aſtris efficaciam dederunt inevitabilem in hominum voluntates, & *Manichæos imò Manichæis pejores eſſe*, qui libertatem arbitrii negabant. Quæ accuſationes toties repetitæ fuerunt à Iuliano & ab aliis Pelagianis Semipelagianiſque adverſus ſanctum Auguſtinum, ut Sirmundiani ſcriptoris conſenſus cum peſſimis viris ad oppugnandum magnum illum Sanctum ejuſque diſcipulos, inde pateat evidenter.

Damnat quod aiunt, *Peccata omnia à concupiſcentia manare.* Quæ eſt ſancti Auguſtini doctrina centies apertè pronuntiantis, *Neque ullum peccatum, niſi concupiſcendo committi. Nihil aliud quàm libidinem in toto malefaciendi genere dominari. Non offendere, niſi qui mala concupiſcentia, contra juſtitiæ rationem appetit.*

Aug. l. de Sp. & lit. c. 4. li. 1. de lib. arb. c. 3. lib. de perfect. juſt. c. 21.

Inſurgit ſæpe acerbiùs quod non putent Deum omnes generatim homines vocare, & concludit. *Si alius vocatur, alius recuſatur, perſonarum Deus blaſphematur acceptor. Si enim gratiam recuſavit, hominem à peccato liberum fecit.* Quare introducit *gratiam generalem*, quæ ſufficiat omnibus, qua poſſit quiſque, ſi velit, ſalvari & ſanctus fieri.

Quod axioma, ut & cætera, à Semipelagianis mutuatus eſt, qui ſancto Auguſtino objecerunt, *Quod non omnes homines vocentur ad gratiam*, & intrpdu-

troduxerunt gratiam illam generalem, de qua Fauſtus apertè verba facit, ubi ſanctum Auguſtinum & Catholicos refellens, ait, *Dominum Redemptorem cum generalis miſericordiæ beneficio veniſſe teſtamur.* Quod ita indubium credit, ut impios dicat opinionis contrariæ aſſertores. *Sed ille*, ait, *verè impius eſt: qui eam non omnibus ingeri, non omnibus teſtatur impendi.* Sed docet nos Auguſtinus impietatem illam eſſe veritatem catholicam, quam reponit inter propoſitiones ſine quibus nemo poteſt eſſe catholicus. *Scimus gratiam non omnibus hominibus dari. Scimus eis quibus datur, miſericordiam Dei gratuitam dari. Scimus eis quibus non datur, juſto judicio Dei non dari.* Quare ſanctus Proſper impugnans errorem Semipelagianorum, his catholicis dogmatibus contrarium, ita eos alloquitur. *Dic, unde probes quod gratia Chriſti nullum omnino hominem de cunctis qui generantur prætereat, cui non regnum vitamque beatam impertiri velit.* Et Concilium Sardinienſe in Epiſtola Synodali à P. Sirmundo vulgata, Fauſtum privatim damnat, & illos omnes in genere, qui gratiam omnibus hominibus dari aſſerunt. *De gratia Dei non dignè ſentit, quiſquis eam cenſet omnibus hominibus dari.*

Fauſt. lib. 1 de lib. arb. c. 16.

Aug. ep. 107.

Adverſariis ſuis tribuit, *Prædeſtinaſſe Deum homines, ſive ad juſtitiam, ſive ad peccatum.* Hæc eſt frequentior Semipelagianorum calumnia in doctrinam ſancti Auguſtini, cui blaſphemias iſtas affingit. *Quod ex prædeſtinatione Dei homines ad peccata compulſi cogantur in mortem. Quod ſive ad bonum, ſive ad malum, prædeſtinatio Dei in hominibus operetur. Quod qui Euangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei prædeſtinatione non credant: & quod Deus ita definierit, ut quicumque non credunt, ex ipſius conſtitutione non credant,*

Propoſitionem illis objicit iſtam, tanquam è pernicioſioribus. *Per prævaricationem primi hominis periit*

Digitized by Google

periit ab hominibus libertas arbitrii, ſenſus affingens quantum poteſt iniquos. Sed eſt propoſitio in ſe formaliter ſancti Auguſtini, quam infinitis in locis conſtanter tuitus eſt, contra Pelagianos, tanquam certiſſimam. *Libero arbitrio*, ait, *malè utens homo, & ſe perdidit, & ipſum*. Et paulò poſt. *Cum liberó peccaretur arbitrio, victore peccato amiſſum eſt & liberum arbitrium.* Et alibi; *Victa enim vitio, in quod cecidit voluntas, caruit libertate natura.* Quod ſanctus Auguſtinus intellexit de potentia & de libertate circa bonum, peccato Adami everſa, non de potentia & libertate circa malum, quæ in deterioribus ſemper remanet. Ita enim ſententiam ſuam multis in locis exponit, veluti ubi ait, *liberum arbitrium non totaliter, ſed ad diligendum Deum, primi peccati granditate perdidimus.* Quo ſenſu haud dubia eſt illa doctrina, utpote altero Arauſionenſi Concilio contra Semipelagianos confirmata, cum ait; *Arbitrium voluntatis in primo homine infirmatum, niſi per gratiam Baptiſmi, non poteſt reparari. Quod amiſſum, niſi à quo potuit dari, non poteſt reddi.* Quæ ipſa ſunt ſancti Auguſtini verba, quibus in definitione catholicæ veritatis uſus eſt Concilium adverſus operum Auguſtini hoſtes.

Enchir. c. 30.

Epiſt. 107.

Conc. 2 Arauſ. c. 13. Ex Aug. l. 14 de civit. c. 11.

Objicit rurſum. *Ergo & nos agimur, non agimus.* Quam objectionem Pelagianorum ita refellit Auguſtinus. *Dicit mihi aliquis, ergo agimur, non agimus. Reſpondeo, immò & agis, & ageris: & tunc bene agis, ſi à bono agaris.*

Queritur tandem doceri, *per baptiſmum ita tolli peccatum, ut capillum novacula eraſum, qui non eradicatur.* Quæ impoſtura toties à Pelagianis illata, & à ſancto Auguſtino confutata, oſtendit in diſcipulos eandem adornari calumniam quæ in præceptorem.

Lib. I ad Bonif. c. 13.

Lectoris

Lectoris patientia abuterer, & de ejus acumine male ſentire viderer, ſi plures afferrem propoſitiones, ut probarem auctorem iſtum fuiſſe ſancti Auguſtini hoſtem infenſiſſimum, Prædeſtinatos autem quos oppugnat fuiſſe Catholicos ejus diſcipulos; cùm objiciat illis Auguſtini dogmata formalia, & eoſdem errores, ſeu calumnias, à Pelagianis Semipelagianiſque confictas. Referendæ eſſent fermè ſingulæ periodi, examinandæque ſigillatim, ſi portenta omnia ad examen revocanda venirent; quandoquidem nihil aliud quàm corrumpit, & detorquet doctrinam primarii Eccleſiæ patris, ut atro illo colore deformata horridior invenuſtiorque appareat. Nunquam ejus dogmata refert, quin in verbis ipſis aliquid mutet & pervertat, niſi id conſequi ſperet erroneis ſuis interpretationibus: tunc enim aperto marte aggreditur ſententiam ab Eccleſia & à Conciliis probatam. Verum quidem eſt, auctorem numquam directè litem Auguſtino movere, cujus ſemper loquitur reverenter, tribuens improbata Prædeſtinatis illis, quos accuſat nomine Auguſtini abuti dum propriis erroribus patrocinium quærunt. Sed id ipſum oſtendit, auctorem perfectè Semipelagianum eſſe; eorum valde gnarum arcanorum, eodemque ſpiritu actum. Etſi enim initio Semipelagiani audacter ſanctum Auguſtinum accuſarint, ut videre eſt in Epiſtolis ſancti Proſperi & ſancti Hilarii, querimoniis ad Papam Celeſtinum, & reſponſis ſancti Proſperi ad accuſationes hæreticorum illorum. Tamen ex quo Papa Celeſtinus temeritatem illorum damnavit in Epiſtola ſuper hac re ad Epiſcopos Gallos, in qua Aquilæ huic Doctorum dignum meritis teſtimonium reddit, arguens temeritatem adverſùs ſtantium, cœpere alia paula-

tim

tim inſiſtere via, & honeſtioribus verbis uti, ejus tamen doctrinam oppugnantes in ejus diſcipulis, quos aliena ab Auguſtini mente dicere accuſant. Patet hoc apud Caſſianum, qui doctrinam Auguſtinianam refellens, nunquam tamen Auguſtinum nominat, & apud Fauſtum qui honorificè de Auguſtino loquitur, & apud Arnobium juniorem, qui ſummas Serapionis laudes probat, & in pleriſque aliis, qui etiam adinvenere hæreſim *Prædeſtinatorum*, ut exercerent in illud phantaſma odium quo proſecuti ſunt doctrinam doctoris in Eccleſia venerandi, cui palam inferre bellum ſine jactura exiſtimationis ſuæ non potuiſſent. Quæ tamen ars rudioribus tantùm decipiendis erat idonea. Veritatis conſcii & perſpicaciores ſatis cernebant Semipelagianorum audaciã in accuſandis Auguſtini diſcipulis, quaſi affingerent doctrinam alienam Præceptori: Cui tamen accuſationi ſtabiliendæ nullum uſquam protulêre locum ex Auguſtino, id tantùm in genere exprobrantes; auctoritate Auguſtini nimium diſcipulos abuti: quod ex Fauſto, & ex auctore Sirmundiano evidentius patet. Nam ubi retulit integrum librum Sancto illi falsò tributum, non auſus eſt tamen refellere & falſi arguere veris operibus aliis, quamvis totus ſcateat blaſphemiis & impietatibus, non ignorans ſcilicet, voce illa concidiſſe blaſphemias non ſolùm illas omnes, ſed proprios errores millies apud Auguſtinum damnatos. Quapropter mirè refugit & Auguſtinum vitat, veluti hoſtem ſuum, de quo, vel de cujus doctrina vera, ſuppoſititiave, nunquam niſi obiter loquitur, ut non ſibi contrarium teſtetur, vitet autem vituperium & ſcandalum quod præberet, ſi aperto marte oppugnaret maximum Eccleſiæ doctorem, in illa materia circa quam

ſem-

ſemper gratiam & plauſum retulit ab Eccleſia uberiorem.

Capvt IV.

Iudicium de opere ab auctore relato, & à Prædeſtinatis, ut ait, ſed nomine S. Auguſtini vulgato.

EX ſupra oſtenſis demonſtratiſque facillimum eſt inferre, quod ſit judicium ferendum circa ſcriptum, ab auctore Sirmundiano Prædeſtinatis tributum, ſub Auguſtini tamen nomine editum. Cum enim probatum ſit apertè, nihil in eo contineri, præter impoſturas Semipelagianorum adverſus Catholicos, doctrinæ ſancti Auguſtini propugnatores, aut contra formales ſancti Auguſtini propoſitiones, in quas acerbiores erant, quibus verò calumniis ſuis & falſis interpretationibus, odium plebis conciliabant, evidens eſt Semipelagianos unicos operis poſſe conſarcinatores eſſe.

Quod illis ita favet, & ita juſtificat calumnias, quas in adverſarios ſparsêre, quæ verò à ſancto Proſpero, & ab aliis rejectæ ſunt Catholicis, ut non niſi ab interioris notæ amico tale officium accipere potuerint.

Quod ſi propius ſpectentur operis lineamenta, compluribus evincetur argumentis, authorem Patris Sirmundi, tam præclari libri eſſe artificem. Primum, qui librum ſcripſit, & qui refutavit, eodem uſi ſunt ſtilo, quod in vocibus, figuris, terminis, & barbariſmis, in utroque tam ſimilibus, ut eodem excidiſſe calamo pateat, fit omnino conſpicuum.

Secundò, quia iſtud ſcriptum inter errores Prædeſtinatorum notat veritates quaſdam Catholicas ab aliis Semipelagianis non oppugnatas, ſed à ſolo auctore

auctore Sirmundiano, & à Pelagianis : v. g. Concupiſcentiam in baptizatis remanere. Nos juſtitiam in hac vita perfectam obtinere non poſſe ; & alia mendaci huic operi inſerta, ut refutandi anſa præberetur, & oppoſitos errores conſtabiliendi.

Tertiò, quia primus falſum hocce ſcriptum protulit ; cùm nemo ante illum in tota antiquitate de eo meminerit, aut quemquam accuſaverit ſancto Auguſtino ſuppoſuiſſe ſcriptum ullum impium, ut ejus auctoritate tantos errores, & tam horrendas blaſphemias ſtabiliret. Itaque veluti libelli diffamatorii vulgator, author meritò perhibetur, donec declararit undenam habuerit ; pariter hæreticus iſte P. Sirmundi cenſeri debet faber falſi ſcripti, quod famæ fideique ſancti Auguſtini lacerandæ cuſum fuit, donec P. Sirmundus ejuſdem patronus & Paranymphus, nos docuerit quiſnam viderit, aut etiam antea quidquam de eo audierit.

Nam quod ſcribit ; *Hunc librum ſibi aliquando oblatum beatiſſimæ memoriæ ſummus Pontifex Cæleſtinus ita execrationi habuit, ut eum perpetuò juberet damnari ſilentio. Eo magis hæreticorum animus inflammatus, clanculò eum per diverſas domos tradidit lectitandum.* Id, inquam, tam evidens eſt mendacium, ut auctorem ludibrio exponat, & ineptum præbeat ; cui in iſtis quæſtionibus auſcultetur. Remittit nos ad Epiſtolam Papæ Cæleſtini quæ ad Epiſcopos Gallos, in qua Papa redarguit contemptores memoriæ ſancti Auguſtini, & jubet, *ut impoſito improbis ſilentio de tali re in poſterum querela ceſſaret.* Sed falſum eſt Cæleſtinum de ullo libro Auguſtino tributo & ſibi oblato ſermonem facere, cùm ex tota epiſtola conſtet illum in ſolos agere presbyteros Semipelagianos, qui doctrinæ ſuæ, non ſuppoſititiis Auguſtini ſcriptis, ut contendit auctor Sirmundianus, auctori-

auctoritatem parare ſatagebant, ſed qui è contra ibant dirutum ſancti Auguſtini auctoritatem, ejuſque memoriam exſtinctum, ejus ſcilicet doctrinam impugnantes tanquam erroneam & hæreticam, in qua *modum exceſſerat*, & contra Pelagianos diſputans iracundiæ nimis indulſerat. Quod Papa Cæleſtinus damnat verbis ſignificantiſſimis, elogio ornans debito Scripta & Eruditionem ſancti Auguſtini, præſcribens Epiſcopis *ſilentium imponere* temerariis illis presbyteris, qui *turbabant quietem Eccleſiæ, novitate & pertinacia ſua*. Quod ſi concedamus auctori P. Sirmundi aſſertum, nempe, falſum illum librum fuiſſe olim Papæ Cæleſtino oblatum, & ab eo damnatum oblivione ſilentioque, quis non videt ſequi, Semipelagianos ejus auctores extitiſſe, & Prædeſtinatos fuiſſe Catholicos qui ſeſe hæreſi eorum oppoſuêre? manifeſtum enim eſt, quos S. Cæleſtinus in Epiſtola ſua arguit memoriam S. Auguſtini elevandi, & quibus ſilentium imperat, Semipelagianos eſſe, contra quos S. Proſper & S. Hilarius Arelatenſis querelas obtulerant, ut expreſsè in Epiſtola dicitur. Itaque ſi crimen, quod Papa Cæleſtinus declarat illos in memoriam ſancti Auguſtini admiſiſſe, erat ſuppoſititii iſtius libri conſcriptio, ſequitur evidenter à Semipelagianis fuiſſe conſcriptum, non ab adverſariis, qui tantummodo Catholici fuêre. Hæc tam clara eſt conſequentia, ut nulla ſit clarior demonſtratio; patefacit autem omnibus ignorantiam & cæcitatem auctoris Sirmundiani, qui ſuo ſe gladio jugulat, & errore alio alium ſubvertit, hac de re, libri ſui præcipuâ, tam ineptè atque de cæteris diſſerens.

Fateor tamen id me in primis mirari hoc loco, non ſolùm Hincmarum in eundem impegiſſe lapidem,

dem, post auctorem iſtum ridiculum, cùm crediderit librum iſtum ſuppoſititium fuiſſe Papæ Cæleſtino oblatum, & de eo cenſuram moveri in ejus Epiſtola, atque ita hæreſim prædeſtinatorum *tempore Cæleſtini Papæ, ipſius auctoritate, & inſtantia ſancti Proſperi revictam eſſe*. Sed ibidem cecidiſſe P. Sirmundum, eximium adeo temporum in Hiſtoria obſervatorem & chronologum, ut criticis nullis ſit inferior; mirum, inquam, in via æquali adeo; in re nulli non notiſſima controverſiis inter Auguſtinum & Semipelagianos vel minimum imbuto. Nam cum Hincmaro putat, & ab auctore ſuo pariter ſibi paſſus eſt perſuaderi, falſum illum librum fuiſſe S. Cæleſtino Papæ oblatum, & *à ſua ipſius ſententia, ut aliena ab Auguſtino eique adverſa continentem, damnatum*. Et examinans verba è Chronico Sigeberti, quod ait, hæreſim prædeſtinatorum *ex libris Auguſtini malè intellectis initium ſumpſiſſe*, hoc *veriſſimum* aſſerit, *hoc enim eſſe quod de ſancti Auguſtini obtrectatoribus ad Capitula Gallorum reſpondens teſtatur Proſper, ejus illos doctrinam, aut non intelligendo, aut intelligi nolendo, reprehendere*. Quod oſtendit P. Sirmundum arbitrari, hoſtes S. Auguſtini, hæreſis Prædeſtinatorum auctores, hoſtes illos eſſe de quibus S. Proſper, cùm ait, aut non intellexiſſe, aut intelligi noluiſſe doctrinam S. Auguſtini. Evidens eſt autem à Proſpero notatos, eſſe Semipelagianos Gallos, Auguſtinum accuſantes, doctrinam Eccleſiæ corrupiſſe erroribus & blaſphemiis, quas Proſper peculiari opere refutavit ex propriis ſancti illius axiomatibus. Conſtat igitur ex Sirmundo ipſo, inventores hæreſis Prædeſtinatorum fuiſſe Semipelagianos hoſtes S. Auguſtini, qui abſque ejus nomine librum ſuppoſuêre, ut viri doctrinam & diſcipulos invidia onera-

Digitized by Google

rent, quandoquidem P. Sirmundus & nuperus ejus auctor, tuentur, hæreſim illam cuſam fuiſſe, & librum S.Auguſtino tributum ab iis,quos S. Cæleſtinus & S. Proſper damnarunt & refutarunt, hoc eſt, proculdubio, à Semipelagianis. Ita collabitur propoſitum P.Sirmundi una cum auctore,ut teſtibus aliis quam ſe ipſis convinci non debeant.

Non quidem quòd deſint alii multi, quos ipſi nobis ſuggerunt; cùm prolati omnes in cauſa ſua à P. Sirmundo ſatis ipſum refellant, & veritati gloriam reddere cogant. Nam ut probet fuiſſe revera hæreſin Prædeſtinatorum, hæreticos tantùm & Semipelagianos citat auctores, Tironem Proſperum, Arnobium Iuniorem, Fauſtum, Gennadium, Iohannem Scotum, & nuperum ſcriptorem iſtum, cæteris certè longè deteriorem. Quod quidem oſtendit,hæreſin Prædeſtinatorum ſolis innotuiſſe Semipelagianis, cum unici de eis ſermonem habuerint, & veteres auctores catholici, tam ſeduli in notandis ſæculi ſui hæreſibus, de iſta ſilentes indicare videantur quantùm ignota fuerit. Quis enim credet, hujuſcemodi hæreſin tempore S.Cæleſtini Papæ vulgatam fuiſſe, & univerſum orbem terrarum infeciſſe, ut ait auctor Sirmundianus, & tamen S.Proſperum. S. Hilarium Arelatenſem, S. Fulgentium, totque alios propugnatores doctrinæ Eccleſiæ, Auguſtinianæque,ne verbum de ea dixerint, diſſimularint omnes,quaſi ipſi faverent, dum autem tanto fervore contra Semipelagianos pugnarent, æquo animo,tulerint Prædeſtinatos eodem tempore diſſeminantes impunè calumnias eaſdem, & hæreſim conſtituentes multo pernicioſiorem, S. Auguſtinum in partes ſuas trahentes, ſub cujus viri nomine impios & deteſtandos libros ſpargebant, nec hiſcere auſi fuerint,

rint, & tanto ire obviam facinori. Quis ſibi perſuadebit in occaſione tanti momenti ſiluiſſe catholicos univerſos; ſolis Semipelagianis ceſſiſſe gloriam S. Auguſtinum & Eccleſiam propugnandi, horrendæque hæreſi obſiſtendi?

Ita quidem exiſtimo P. Sirmundum, cæteroſque auctoris iſtius propugnatores ægre perſuaſuros tantum Paradoxum hominibus ratione utentibus.

Concludendum igitur, P. Sirmundum, cum auctore ſuo hæretico, propriis ſuis teſtibus convictum manere, ab illis ipſis teſtibus confirmari doctrinam impugnatam dum eam impetunt. Sed miro caſu contingit, qui pro ea quoque loquantur reperiri. Nam Tiro Proſper, quem primum P. Sirmundus adhibet (licet auctor ſit erroribus & portentis plenus) conceptis verbis ait, *Prædeſtinatorum hæreſis, quæ ab Auguſtino accepiſſe dicitur initium, his temporibus ſerpere exorſa.* Fuit igitur Auguſtinus ex auctore iſto hæreſiarcha: fuit igitur prætenſa hæreſis doctrina Auguſtiniana; fuêre prædeſtinati S. Auguſtinus & ejus diſcipuli. Iudices igitur quibus hæc hæreſis damnata fuêre adverſarii doctrinæ Auguſtini, Auguſtinianorumque, nempe Semipelagiani. Notatu dignum teſtimonium iſtud à P. Sirmundo cæteris præpoſitum, emendatumque juxta MS. Bibliothecæ S. Victoris, prout vir eſt diligens, ut purior veritas appareret. Quod tanto ſucceſſu peregit, ut veritatis fulgorem obſcurare tentarit, addens, *Quod in Tironis Chronico ſcriptum erat, ab Auguſtino, Sigebertus interpretatus eſt, ex libris Auguſtini malè intellectis, veriſſimè.* Qua in re mirum eſt primò, P. Sirmundum textum Tironis Proſperi correxiſſe juxta MS. S. Victoris, & repoſuiſſe, hæreſim Prædeſtinatorum *ab Auguſtino initium accepiſſe*, non quod in editis legitur, *Ex libris Auguſtini malè*

Tiro Proſp. in Chron. ex Bibl. S. Vict.

malè intellectis, deletis vero verbis iſtis ut ſuppoſititiis & falſis, ſenſum retinere, atque ita locum emendare ſimul & corrumpere. Parvi enim momenti hic eſt Sigeberti teſtimonium, quippe recentioris, cui vade opus eſſet in re adeo à ſæculo ſuo remota. Si autem attendiſſet P. Sirmundus quid in hoc articulo Sigebertum ſecutus negotii ſuſciperet, non ſibi licere animadvertiſſet id aſſerere, Prædeſtinatos è libris Auguſtini malè intellectis hæreſim hauſiſſe, edito in lucem auctore, qui teſtatur ita intellectum fuiſſe, ut à partibus ſuis cum non ſtare Auguſtinum viderent, ejus nomine falſa ſcripta proferre coacti fuerint, quo auctoritatem erroribus & blaſphemiis ſuis conciliarent. Quod nunquam feciſſent, ſi per ignorantiam in animum induxiſſent vera Sancti illius opera ſibi favere: quandoquidem nunquam ſponte homines in mendacia inutilia & quæ facilè detegi poſſunt delabuntur. Et ſanè qua ratione verba illa Proſperi, *Hæreſis Prædeſtinatorum ab Auguſtino initium habuit*, ſignificabunt, originem duxiſſe ex *malè intellectis libris Auguſtini?* Si locus ſit tam violentis interpretationibus in evidenti oratione, quid non reperietur in auctoribus, quid tam abſurdum quod non propugnetur? Inde ſequetur hæreſes Calvini & Lutheri originē ſumpſiſſe ex Paulo & Chriſto, & uno verbo cunctas hæreſes natas ex Prophetis, Apoſtolis & Patribus, quia Scripturæ perperam intellectæ omnes innituntur, & Patres ſecum trahunt, prout & hodie fit ignoratione linguæ & axiomatum veterum illorum. Pariter dici poſſet, doctrinam Molinæ & Ieſuitarum adhærentium ex Auguſtino cœpiſſe; quamvis Molina incognitam ſibi fateatur, & ſe ipſum ejus inventorem prædicet; quia Ieſuitæ, qui defendere eam & fulcire conantur mediis

Sigebertus vixit ſæculo XII.

& artibus iis quas omnes mirantur, mentem eam & Ideam Auguſtini eſſe putant, quem non amplius audent impetere, ut aliàs auſi ſunt; ex quo ſedes Apoſtolica pro Auguſtino ſtetit, ſtabilivitque eum judicem in materia gratiæ: quemadmodum nec audebant amplius Semipelagiani eandem impugnare aperto Marte, poſtquam fuit tot laudibus evectus in Epiſtola S. Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Gallos.

Conſtat igitur, teſtibus ipſis Sirmundi, Semipelagianos primos & ſolos ex antiquis mentionem feciſſe hæreſis Prędeſtinatorum cæteris ignotæ, & S. Auguſtino ortum tribuiſſe hæreſis imaginariæ iſtius, ſeu doctrinæ Eccleſiæ mirum in modum detortæ & depravatæ impoſturis, quas non pudet hodiè imitari contra doctrinam eandem, quæ cùm ſit vera, & traditioni Eccleſiaſticæ conſona; dolo tantùm & mendacio poteſt oppugnari.

Nec diſſimulare potuit author ipſe P. Sirmundi Catholicos eſſe & in Eccleſiæ ſinu degentes in quos invehitur & quos tanquam Prædeſtinatos traducit. Ait enim, *manifeſtum eſt, miſcuiſſe belluas gregi dominico, qui tanta ſubtilitate clandeſtino hiatu ſeſe Catholicis immerſerunt, ut ipſi magis cives ſanctorum & domeſtici fidei æſtimentur.* Quare appellat eos *hoſtes occultos:* quos antequam aggrediatur, orat Catholicos, *ut excluſa omni occupatione, ante oculos ſibi ponant ultimum Dei judicium.* Vnde patet oppugnatos eſſe homines celebres, & in Eccleſia auctoritate prævalentes, ita ut vix objecta fidem habitura eſſent ob atrocitatem incuſationis, quæ ſi vera fuiſſent, tantum odium delinquentium erant apud Catholicos conciliatura, ut nihil opus eſſet lectori in memoriam revocare diem ultimam,

 niſi

niſi vacuo animo & attentè rem perpenderet.

Ex eodem auctore apparet ſuos fuiſſe à Prædeſtinatis accuſatos Pelagianiſmi. *Quid*, inquit, *Pelagii nobis dogma objicitis?* Et alibi queritur, *ait liber eorum, hæreſin Pelagianorum iterum renovatis.* Quæ omnia adamuſſim quadrant Semipelagianis, & doctrinæ Auguſtinianæ defenſoribus. Hi enim Catholici erant magni nominis inter fideles; & frequens erat Semipelagianis facta exprobratio, reſtituere illos Pelagianiſmum, & deſtruere peccatum originale: Cum Semipelagiani è contra Catholicos inſimularent Manichæiſmi, quo etiam nomine dignatur adverſarios ſuos auctor Sirmundianus.

Sed, quod ejus impoſturam amplius detegit, ſcribit ſe ad illud Prædeſtinatorum refellendum, *ex hæreticorum argutiis contra ſe nos agere*, conſilium cœpiſſe *hæreſes omnes memorare à Simone uſque ad ſæculum præſens, & ſigillatim recenſere, ut ſciant*, ait, *conformes nos eſſe ſoli fidei Catholicæ hæreſibus contrariæ, & nullius eorum contra ſe nos uti conſenſu.* Ita tamen hæreſium Catalogum iſtum contexit ut de Semipelagianis nihil dicat; cùm poſt Pelagianos recenſeri debuiſſent, utpote quos proximè ſecuti ſunt, aut poſt Neſtorianos, quibus non ſunt recentiores. In eorum tamen locum ſubrogat Prædeſtinatos, quaſi nimirum pro Semipelagianis contra ipſos ſtet. Cùm enim eo fine inſtituta ſit iſta enumeratio hæreſium, ut ſe orthodoxum probet, & Semipelagianam prætereat, profitetur apertè quàm non illam damnet, nec ab illa averſus velit videri, imò quam ſit partis adverſæ hoſtis quam Prædeſtinationis titulo inter hæreſes enumerat. Gennadius presbyter Maſſilienſis, Semipelagianus inſignis idem præſtitit, ante, ſive poſt auctorem iſtum, in ſuo

ſuo hæreſium Catalogo. In quo Prædeſtinatos recenſuit vice Semipelagianorum quos ſequebatur. Sed Iſidorus Hiſpalenſis Gregorio magno contemporaneus errorem iſtum correxit. Deſcribens enim Catalogum Gennadii multis in locis, ubi ad Prædeſtinatos venit, Semipelagianos reſtituit, ut ſedem occuparent ſuam hoſtes doctrinæ Eccleſiæ. Idem mereretur auctor Sirmundianus in pari crimine, niſi Catalogus hæreſium tot craſſis erroribus conſutus eſſet, ut ne legi quidem ſemel mereatur. Neque dici poſſet, nondum Semipelagianos fuiſſe damnatos cùm librum ſcripſit, quia ex eodem contrarium probatur. Nam mentionem facit Epiſtolæ Cæleſtini Papæ ad Epiſcopos Gallos, quibus damnavit & ſilentium indixit, teſtaturque conſcriptum fuiſſe librum Cæleſtino jam fatis functo, quippe *Beatiſſimæ memoriæ Summum Pontificem* dicit. Quo etiam tempore S. Proſper jam detexerat calumnias ſectariorum iſtorum in S. Auguſtinum ſparſas, queſtus apud Cæleſtinum, ut in ejus epiſtola videre eſt: retulerat diu ante eorum errores omnes & dogmata Auguſtino ipſo, ut refelleret, quod præſtitit in libris de Prædeſtinatione Sanctorum & de dono perſeverantiæ. Itaque Semipelagiani damnati fuerant ab Auguſtino, à Cæleſtino Papâ, à Proſpero, & ab Hilario Arelatenſi, antequàm auctor Sirmundianus Catalogum ſuum hæreſium ordiretur, nulloque fuco tegi poteſt ſequior fides & ſtudium quo Semipelagianos juſtificare voluit, dum numero exemit hæreticorum, ut collocaret ibidem Catholicos adverſarios doctrinæ Eccleſiæ defenſores, indito probroſo Prędeſtinatorum nomine.

Patet adhuc hæc impoſtura altero Concilio Arauſionenſi, congregato ad ſectam Semipelagia-

norum ultimo feriendam anathemate. Ita enim damnatis eorum erroribus loquitur, *Aliquos ad malum divina poteſtate prædeſtinatos eſſe, non ſolùm non credimus, ſed etiam, ſi ſunt qui tantum malum credere velint, cum omni deteſtatione illis anathema dicimus.* Evidens eſt Concilium hiſce verbis præcipuum & pernicioſius dogma damnaſſe cujus accuſabantur Prædeſtinati, nempe Deum potentia ſua prædeſtinare homines ad malum & ad inevitabile peccatum. Damnat autem, cum ait ſe neminem noſſe qui tam execrandum dogma tueatur. Vnde ſequitur nullam tunc temporis fuiſſe in Eccleſia Prędeſtinatorum hæreſim, quippe quæ nullos ſectatores haberet; & proinde imaginarium iſtum errorem calumniam fuiſſe Semipelagianorum in Catholicos & in Concilium iſtud catholicos repræſentans. Quocirca juſtificat ſe hiſce verbis, *Declaramus non ſolum non credere nos homines eſſe ad malum divina potentia prædeſtinatos &c.* quibus ſe alienum à tanto errore profitetur, atque ita inſtitutam accuſationem amolitur. Hæc enim formula loquendi, *Declaramus nos non ſolùm non credere, ſed etiam damnare*, &c. ex uſu ordinario ſignificat, *Declaramus falſum eſſe, nos errore illo teneri* &c. Nec ita loquuntur, niſi qui accuſationem depellere volunt. Aliàs fruſtra, & ſine ratione Concilium declaraſſet ſe innocens hæreſis iſtius, potius quàm cæterarum, niſi ad diluendam ſuſpicionem, & privatam quandam calumniam, ad id impulſum fuiſſet.

Conc. 2. Arauſ. c. 13.

Quod omnino confirmat duos articulos quos P. Sirmundus ex auctore ſuo hæretico vult evertere. Primò, Catholicos doctrinæ Eccleſiæ propugnatores, imò Concilium ipſum Arauſionenſe ex illis fuiſſe quibus impoſita eſt Prædeſtinatorum hæreſis. Secundò, non modo innocentes illos

fuiſſe,

Digitized by Google

fuiſſe, ſed planè neminem tunc temporis extitiſſe privatum, ſectam nullam cui hæreſis illa competeret.

Quî ſtabit igitur quod ex auctore ſuo P. Sirmundus conatur perſuadere, hæreſim Prædeſtinatorum cœpiſſe ante Concilium Arauſionenſe II, & nondum cognita in Eccleſia hæreſi Eutychis? quis ab impoſtura liberabit eadem Gennadium Semipelagianum, qui circa tempus Concilii illius contra hæreſim Prædeſtinatorum, ut ſæculo illi propriam inſurrexit?

Tantò fit evidentius mendacium iſtud, quantò ſæpius ab auctore Sirmundiano refertur, *In hac hæreſi diabolum tyrannidis ſuæ furore graſſari, & lethali plagâ penè univerſum vulnerare mundum.* Quanta fuit enim negligentia & cæcitas Concilii, ne noſſe quidem tam horrendum & latè graſſantem hæreſim; vel quanta fuit impoſtoris iſtius audacia; niſi dicas erraſſe omnino P. Sirmundum cum fecerit illum Gennadio & II Concilio Arauſionenſi antiquiorem. Et ſanè infirmo nititur argumento. Ante Gennadium enim ſcripſiſſe inde probat, quod in Catalogo ſuo hæreſium, nihil de Eutychiana, & à Neſtoriana ad Prædeſtinatianam tranſeat. Sed fallacem jam oſtendimus Catalogum iſtum, & in locum Semipelagianorum ſupponentem Prædeſtinatos eorum adverſarios, id eſt, Catholicos orthodoxæ doctrinæ propugnatores. Præter quam omiſit tot alias hæreſes, veluti Eucratiſtarum, Colliridianorum, Semiarianorum, Marcellianorum, Lucianiſtarum, aliorumque apud Epiphanium & alibi exſtantium: quàm indoctè verò, quàm mala fide retulit errores cæterorum, & in primis Pelagianorum, hæreſes multas diſſimulans ob quas damnati fuerunt, & quas S. Auguſtinus pro

Digitized by Google

Eccleſia refutavit, quas autem ipſe veras exiſtimabat, & tueri meditabatur in opere adverſus Prædeſtinatos. Quæ igitur huic Catalogo fides adhibenda? quàm contemptim habendus, utpote cujus auctor, ne veriſimilitudine mendacium ſuum ornare novit.

Si verum ſit, quod cenſet P. Sirmundus, auctorem iſtum eſſe Arnobium Iuniorem; ſequitur vixiſſe illum poſt natam hæreſim Eutychianam, & poſt celebratum Concilium Chalcedonenſe, nam in ejus diſputatione cum Serapione fidem Eccleſiæ tuetur contra hæreſim Eutychianam & Ægyptiacam, in Concilio Chalcedonenſi damnatam. Quam diſputationem Bellarminus tribuit Arnobio Iuniori, Pſalmorum commentatori. Vnde ſequitur etiam auctorem eſſe Semipelagianum, qualis erat dubio procul Arnobius Iunior, ut in prædictis operibus evidentiſſime patet.

Vid. in Pſal. 90, 91, 93, 147, &c.

Nec video quo P. Sirmundus honore proſecutus eſt auctorem ſuum Arnobium Iuniorem eum prædicans, mirorque quî hæreticos ſcriptores ab Orthodoxis tam malè diſcernat; aut quo pacto auctorem luce & approbatione ſua dignum contulerit hæretico. Nihil mea quidem refert ſive vera, ſive falſa ſit ejus conjectura, cùm utrimque intentum habeam, nempe auctorem iſtum hæreticum eſſe Semipelagianum, atque adeo in hac cauſſa fide indignum. Verum ſi quæ mihi videntur proferre licet, vix credam diſputationem Arnobii contra Serapionem & Sirmundianum ſcriptorem eſſe eundem, cum tam diſſimili ſtilo utantur, quamvis ſectæ appareat ejuſdem. Sirmundianus enim ſcriptor toties circa Grammaticam peccat, ut credendum neutiquam ſit tempore Cæleſtini & Proſperi vixiſſe, dignior ſanè ævo Hincmari, qui primus

primus & ſolus ejus mentionem fecit, etſi non unico iſto errore teneatur circa libros, & materiam Theologicam, præſertim dogmaticam, in quâ minus verſatus erat, quidquid illi laudis P. Sirmundus tribuat.

Sed antequam finem orationi imponam, non poſſum quin rogem unde acceperit, *auctorem iſtum aſſiduè verſatum cum Prædeſtinatis, ſæpe conſeruiſſe, unum illos præ omnibus refugiſſe & reformidaſſe adverſarium?* Hæc non reperit in ſcripto iſto, licet auctor de ſe magnificè ſentiat & loquatur. Gloriam ſibi quidem tribuit primum in Prædeſtinatos ſcripſiſſe. Quod ideo fortaſſe ut fucum faceret, & ne crederetur tamdiu poſt vixiſſe. Si enim tantæ eſſet antiquitatis, haud veriſimile nullos è Semipelagianis aut è Catholicis, qui de his rebus tam multa ſcripſere, Proſperum, inquam, Fulgentium, Avitum, Hilarium, Eucherum, Cæſarium, & alios doctrinæ Eccleſiæ, & famæ ſancti Auguſtini propugnatores ne verbum de eo dixiſſe, injuriam autem diſſimulaſſe Auguſtino illatam, dum illi tribuerentur ſcripta peſſimæ notæ blaſphemiiſque referta, calumniis Semipelagianorum quibus contra tam validè ſteterant. Quod tantò credendum minus quòd auctor iſte non dicat hunc ſolum refutandum librum, ſed alios permultos ſub nomine S. Auguſtini à Prædeſtinatis vulgatos fuiſſe. *Scriptis ſuis*, ait, *ſub Sacerdotis Auguſtini nomine; totum penè jam vulneraverunt mundum, vitiatos libros proferendo, & varias epiſtolas dando, quas memorati Hipponenſis Epiſcopi eſſe confingunt.* Quod diverſis in locis repetit. Non eſt igitur credibile tot magnos Eccleſiæ & Auguſtini defenſores tot enormia mendacia ſilentio prætériiſſe, atque adeo auctoris Sirmundiani ſermones & laudes propriæ vanæ ſunt & imaginariæ, ſed

men-

mendax licet & deceptor nullibi probat quæ de illo ait P. Sirmundus, *Prædeſtinatos unum illum præ omnibus refugiſſe, & reformidaſſe adverſarium*; quod elogium P. Sirmundi affectui immoderato eſt tribuendum, cui dum indulſit, minus eſt uſus judicio ſuo. Si enim quieto conſideraſſet animo ſermones hominis illius, tam vanos & ineptos, quàm erroneos & hæreticos; facilè animadvertiſſet, quàm non fuerit inter adverſarios Prędeſtinatorum magis reformidandus, niſi Prędeſtinatos fingat ſe ſtolidiores hebetioreſque. Quod omnino impoſſibile videtur, cùm modum exſuperantes dementiæ eodem tempore non ita frequentes ſint; tam raræ enim ſunt, quam præclara illa & mirè coruſcantia ingenii judiciique lumina.

CAPVT V.

Concluſio, & ſupradictorum Reſumptio.

ANtequam finiam, P. Sirmundum enixè rogo, ut deinceps M S. Codices quos nanciſcetur attentiùs ſpectet, ne cum magno ſenectutis ſuæ dedecore, tanquam proba & minimè reprehendenda edat opera nulli non lectori meritò horrenda. Hæreſes Semipelagianorum, Pelagianorum, & his ſequiorum; tam multa enormia in rectum judicium, in eruditionem & bonam fidem; impoſturæ, & omnis generis depravationes tam frequentes exſtant, ut in puſillo opere tot fuiſſe coacervatas mirum ſit in primis. Quâ ductus ratione, ab omnibus enumerandis mihi temperavi; cùm exiſtimarim ex paucis à me notatis, quemque facilè animadverſurum quàm inexhauſto fonte manarint.

Scopus mihi præcipuus fuit Impoſturæ coarguere,

gere, quæ ſub nomine Prædeſtinatorum in Catholicos dicit, & præſertim mendax illud ſcriptum, quo fictam ſuam hæreſim ſub Auguſtini nomine conſtabilire conabantur. Cujus facinoris iniquitatem palam feci, convenientiâ impietatum illis impoſitarum cum illis quas Semipelagiani impoſuere Catholicis doctrinæ Eccleſiæ contra eoſdem defenſoribus, teſtibus ipſis à P. Sirmundo pro illo citatis; maximis ſancti Auguſtini & Eccleſiæ propugnatoribus qui de hæreſi Prædeſtinatorum ne verbum dixêre; auctoritate ſecundi Concilii Arauſionenſis, unde nullam fuiſſe patet; denique teſtimonio ipſo nuperi illius auctoris, atque Hincmari, imò & Sirmundi ipſius, qui omnes fatentur auctores hæreſis Prædeſtinatorum, & libri ſancto Auguſtino impoſiti, illos ipſos eſſe in quos Papa Cæleſtinus & S. Proſper ſcripsêre, qui proculdubio Semipelagiani fuerunt. Ita ut videatur juſto Dei judicio calumnia ore ſuo victa, & in illis ipſis tenebris, quibus veritatem occultare tentabat, ſepelienda. Inde collegi, cùm ſit extra dubium falſam illam hæreſim & ſuppoſititium illum librum à Semipelagianis ortum eſſe, veriſimiliter ejus auctorem fuiſſe Scriptorem Sirmundianum; cùm primus, & ante Hincmarum ſolus, ex antiquis, mentionem de ea fecerit, & in illo libro inter errores Prædeſtinatorum recenſeantur veritates quædam Catholicæ à vulgo Semipelagianorum non impugnatæ, tum quia barbaries ſtili, cogitationum, ratiociniorum, & ignorantiæ quadrat magis cum ſæculo Hincmari quam cum illo Cæleſtini & S. Proſperi, quidquid artis author impendat ut contrarium probet & mendacium fuco tegat. Nam veteres Eccleſię cum Semipelagianis controverſiæ ſæculo Hincmari renovatæ

vatæ fuerunt, quo falſa ſcripta edere licuit inter tam raros judices peritos, ut videre eſt in Hincmaro ipſo, qui ſuo tempore clariſſimus cecidit tamen nec ſemel in rebus magni momenti, in iſta autem tantò facilius, quòd ſuppoſititius iſte liber favebat, contentioni ſuæ ſuper Monacho Goreſcalch cum cæteris Epiſcopis Gallis validè contranitentibus & in tertio Concilio Valentiæ ejus opiniones damnantibus. Quemadmodum autem Semipelagiani initio errores ſuos conati ſunt confirmare invehendo in doctrinam Catholicorum, commentariis falſis & calumniarum plenis, quibus ita deformabatur ut nulli non horrenda videretur: pariter cùm Hincmari ævo Semipelagianiſmus caput rurſum erigere voluit, eadem uſus eſt arte, eaſdem protulit calumnias contra propugnatores antiquæ & orthodoxæ veritatis, non ſolùm falſos rumores ſpargendo & codices falſos, ut priùs, ſed audacia majori, ob ſæculi in pejus ruentis vitium, tractatus falſos & libros integros componendo, in quibus latè veterum illorum impoſturæ erant diſſeminatæ. Non quod opus auctoris Sirmundiani ſub nomine Auguſtini vulgatum non valdè differat, ab illo *Diabolico indiculo*, quem teſtatur Proſper emiſſum fuiſſe in Auguſtinum; cùm reverà illius articulos complures non contineat. Sed inſunt præcipui, & additi nihil aliud ſunt quam illationes & errores peculiares auctori, quod à me ſupra fuit oſtenſum.

Non dubito quin attenti lectores ſint animadverſuri tot hæreſes, tot errores, tot abſurda; & credo miraturos in primis P. Sirmundum ita ſui oblitum, ut pro bono auctore vulgarit, quem conſtat ſenſu communi fidei & rationis fuiſſe privatum, cui nec eruditionis plebeiæ, nec conſcientiæ,

nec

Digitized by Google

nec virtutis faces præluxêre. Sin minus enim cognitio Theologiæ & hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & Χριτικῆ, cui tot annos impendiſſe ajunt, obſtitere probro illi ſenectutis ſuæ, dum publici juris fecit & laudibus ornavit librum adeo pudendum; at mirum quî non deterruêre Barbariſmi, Solœciſmi, & in Grammatica tot fœdi errores, eloquentiæ & elegantiæ Latinæ, quam id ætatis nondum ſectari deſiit, contrarii. Sed magis mirandum venit, nihil illum extimuiſſe damnationem ab auctore iſto latam in id quod auſus eſt publicè tueri, chriſma non habitum olim neceſſarium ad Confirmationem, quæ per multa ſæcula ſola manuum impoſitione conferebatur, & præcipuè quo auctor iſte vixit, hoc eſt, circa quintum. Tale dogma in iſto libro ſæpius evertitur, qui inter vera Sacramenta chriſma ponit, & ait, *in illo debere nos ſpei noſtræ firmamentum conſtituere*, tamquam in baptiſmo & in Euchariſtia, nulla tamen facta impoſitionis manuum mentione, ubi de Confirmatione loquitur, ſed de ſola unctione Epiſcopali. Hæc Sirmundum coërcere debebant, cùm ſit judicium auctoris quem magni facit & laudat, à quo cæteros vult damnari, & à quo tamen ipſe ſupremo damnatur judicio, nam à Iudice quem elegit appellare non licet. Quæ ſententia majoris ponderis fuiſſet ſi ſemel attendiſſet conſentaneam eſſe illam judicio Conventus univerſi Cleri Galliæ, cujus juſſu & impenſis excuſus fuit liber Aurelii in Sirmundum ſcriptus. Sed rationes iſtæ validiori ceſsêre affectui; quippe Ieſuitico more rem privatam prætulit publicæ totius Societatis, quam liber Epiſcopi Yprenſis in diſcrimen adduxit famæ circa Theologiam apud plebeculam partæ. Cùm autem Dogmaticæ, cui minus incubuit, auxilium afferre nul-

nullus poſſet; affectus ſui in Critica ſpecimen edidit, pro Societate auctorem edens nuperum, qui uno ictu evertit funditus opinionem Ianſſenii circa Prædeſtinatos, impoſtura ſcilicet ſua, & falſo ſcripto ſuo, atque doctrinam ſancti Auguſtini circa Gratiam, erroribus, & hæreſibus ſuis. Neſcio ſanè quam illi ſit habitura pro tali officio Gratiam Societas; hoc unum tamen novi, conſimilia illum præbere arma, quibus oppugnatus fuit ab eadem magnus ille Epiſcopus, mendacium ſcilicet & calumniam, quibus ſolis Auguſtinus oppugnari poteſt. Quod apparet, & ſemper apparebit, cum Ieſuitarum conatibus in duos illos incomparabiles Epiſcopos, quos in hac re merito in unum compono, tum artibus emiſſariorum Societatis illius in ſcriptis & ſermonibus ſuis, præter ordinem Eccleſiæ, ſchiſma introducentium & confuſionem cum tam fœda rerum ipſarum ignorantia, ut ſola ſe tegant præſumptioue & ignorantia, quibus fiunt paulò peritioribus intolerabiliores. Sed quamvis cæco impetu homines illi in rem ſuam & in propriam gloriam, pro qua pugnant, ferantur, ſperandum tamen Eccleſiaſticæ rei, & Civili, à Deo præpoſitos diutius non paſſuros, coram omnibus paſſim proſcindi & lacerari Sanctos, Epiſcopos, Doctores Catholicos omnium ordinum, prout ante annum cœpit fieri, non ſine perturbatione conſcientiarum, & ordinis inverſione, ex contemptu publicæ prohibitionis à D. Archiepiſcopo Pariſienſi factæ, cujus in magni momenti occaſionibus ſolet auctoritas nimis impendio elevari. Interea autem qui tam inaudito modo habiti fuerant intra ſilentium ſe tenuêre, quamvis tam facilè rabularum illo-

rum

Digitized by Google

rum murmur & calumnias depellere poſſent, quam vento pulvis tenuiſſimus diſſipatur. Quo diſſimillimo agendi modo elucet abunde quam veritas & ſcientia Sanctorum, modeſtiæ & patientiæ ſemper comes, pone ſe relinquat Spiritum erroris & hominis. Cum enim iſte plenus ſit igne non lucido, inſtar inferni illius, ſecundum Patres, agitat, & avehit continuo quos poſſidet, præcipiteſque dat tandem; non ſine omnium ſtupore, niſi qui ſint, quos alienus caſus ad ſuperbiam potius quam ad humilitatem deflectat. Ita magnum quidem ſibi videtur pro ſocietate ſua præſtitiſſe P. Sirmundus, dum librum edidit exiſtimationi ſuæ lethalem, ſocietati ipſi probroſum, & cujus titulus melius fuiſſet *Reprobatus*, quam Prædeſtinatus; quandoquidem continet tot propoſitiones, totque errcres, non ſolum ab Eccleſia, ſed à ſenſu communi damnatos, ut pariter officiat eo utentibus & cauſæ cui adhibetur. Si liceat autem ita proferre ſcripta pernicioſa, utilia tantum depravandæ veritati, perturbandæ Eccleſiæ, indoctis, & non multum provectis, ſeducendis, qui non facile ſibi metuunt à libris, celebris ſocietatis ſilentio probatis, à ſene autem editis, tot ingentium voluminum editore, Regis confeſſore, nulli ſocietatis ſuæ præminm eruditionis & ſolertiæ concedente; non eſt inquam quod in poſterum prohibeatur publica venditio venenatorum ciborum qui pro ſalubribus exponentur, cum longe minus metuendum ſit venenum corporum, quam quo animæ necantur, difficile autem uſpiam reperiri poſſit liber, pro mole ſua, magis veneno tumens,

quam nuper ille editus à Sirmundo, quo licet notho, & inepto, litem reſcindi vult, cui ſupremam de veritate judicandi poteſtatem tradit, cujus errores nemini coarguere liceat.

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google